TRIUMVIRATUS SANCTIMONIÆ SOCIETATIS JESU

Tribus Epigrammatum libris ad imitatio-nem propoſitus.

AUCTORE
ANTONIO BARONE
EX EADEM SOCIETATE.

NEAPOLI M.DC.XCV.
Apud De Bonis Typographum Archiepiſcop.
Cum Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPIGRAMMATON

LIBER PRIMVS

Triumvirûm Sanctimoniæ Princeps

FRANCISCVS XAVERIVS.

ESTO inter Sanctimoniæ Triumviros loco Primus Idem, qui merito, FRANCISCUS is eſt XAVERIUS; quotquot Chriſto JESU genuit Ignatius, naſcendi ordine uni Petro Fabro, Probitatis laude, Rerumque geſtarum gloriâ nulli ſecundus: immò Fratres inter, eo quidem nomine, natu Maximus, unóque tantùm minor Ignatio, Parente, ſcilicet, ſuo Filius. Habes, Lector, in XAVERIO Virum ſupra Naturam fortem, ſupra imitationem eximium, ſupra invidiam admirandum: quem nunquam ſatis

Digitized by Google

moribus exprimas, nunquam animo pro dignitate ſuſpicias. Habes Heroas in uno plures, hoc eſt, Animos Virtutis magnæ amantes: qui, quò ſeſe juvandorum Mortalium ingens ardor extenderet, metas ſtatuerit: ultra quas vel conandum, vel faciendum nihil eſt reliquum. Supra Hominem illum evexit nunquam non intaminata Virginitas: ſupra Mundum nunquam non invicta Conſtantia: Parem propè fecit Angelis adhuc incorrupta Mortalitas. Inter Cœli, Terræque confinia Medius, atque utrique conterminus: ſemper animo verſatus in Cœlo; ſæpè etiam corpore: quo animum ſequente, identidem vacuo in aëre ſuſpendebatur: indè, veluti è ſpecula, ſeu Immortalium Cœtibus intereſſe mallet, ſeu commodis adeſſe Mortalium. Cœlitibus magis ſimilem, quàm Hominibus: Novarum Gentium, Gentium omnium ſuffragio, Apoſtolum ſummi Eccleſiæ Hierarchæ, Gregorius XV, & Vrbanus VIII. dixere, hoc eſt, qualem opere ſuo ac labore, virtutum, ac miraculorum merito jam pridem ipſe ſe fecerat. Quanta Mentis ejus amplitudo, quam vetus iſte Terrarum Orbis non clauderet: quæque Orbem alium ſinu clauderet ſuo? parem, ſcilicet, niſi novo patente Mundo, induſtriæ operam non habitura. Quantus Divinæ Gloriæ, Animorumque ſervandorum ardor: quem aquæ tam multæ, ipſeque Fons aquarum omnium, ac veluti Parens Oceanus, quantus quantus eſt, non extinxerit? Quibus proſequar laudibus os illud aureum: quo divinitùs inſtructo, apud Indos centum propè Gentium linguis Chriſti fides loquuta eſt? Quibus Viri dexteram, quæ ad duodecies centena hominum millia, ſacro Baptiſmatis Lavacro à criminum ſordibus lavit? Plures in Petri, hoc eſt, ſalutis in retia ex Idololatris unus XAVERIUS, uno induxit decennio; quàm ex his per ſexdecim ſæcula in ſagenam perditionis

tionis invexerit, ubique Gentium, ubique Terrarum
Hæreſum diſperſa colluvies. Exoſculare manum; quâ
ad quadraginta millia Idolorum in pulverem abiere.
Pedes exoſculare; quibus ac ſæpè nudis, ſanguineque
manantibus, JESU nomen circumtulit: tanto Terrarum
emenſo ſpatio, quantum, pluriès congeminatâ molis
ſuæ menſurâ, Terra ipſa tota non æquat. Unus par
omnibus, & omnibus omnia: qui, Vaticano ex Oracu-
lo, non minus fecit à magnis Apoſtolis; ſuo tamen ju-
dicio planè nihil: ſeque tunc cœpiſſe labores duceret;
cum ad operis mercedem evocatus ad Superos, labo-
rare deſineret. Deo demùm, & Hominibus, vel agen-
do, vel patiendo ſatis probatus, Indiarum Apoſtolus
omnium calculis renũciatus; multitudine Infidelium,
quos Chriſto adjunxerat: magnitudine miraculorum,
quæ pro Chriſto patrarat: ſuſcitandi mortuos præro-
gativâ, vaticinandi ſpiritu toto Terrarum Orbe cla-
riſſimus, laboribus pro Chriſti fide, ad Orientem So-
lem plurimas in Nationes primùm illatâ, nunquam nõ
ſupra vires, ſed infra vota ſuſceptis; tandem confe-
ctus, in Sanciano Sinarum Inſula, quem apud Hiſpa-
nos hauſerat, ſpiritum apud Indos emiſit: Cœlo illa-
tus; cum excluſus à Sinis, Sinas in Cœlum inferre, &
Cœlum in Sinas maximè moliebatur. Age jam, quam-
cumque Cœli partem inſides (quam planè celſiſſimam
exiſtimamus) huc oculos adverte tuos, ò magne ex-
piati novi Terrarum Orbis Aſſertor, illuſtratique me-
liori face Sol alter Orientis, FRANCISCE XAVERI: &
luſus hoſce noſtros, qualeſcunque demùm hi ſint,
æquis auribus excipe. Tuum, nempè, Numen, qui No-
men præfert, primus hujus operis, Tibi uni nuncupa-
tus, liber expoſcit. Agejam, & auſpiciis cœptum tuis,
Muſæ vectigalis obſequium ope tuâ ad optatos exitus
provehe, Clientique tuo fave.

Xaverii Origo ex Navarræ Regibus : cujus Incolæ Navinii olim dicti.

Epigr. I.

NAſceris antiquo Regum de ſanguine, quondam
Navinii ſceptrum qui tenuere ſoli.
Te ſed aviti non dives Tumor extulit Oſtri:
Quòd Tibi viluerit, Purpura plus rubuit.
Pauperie, FRANCISCE, tuâ Te involuis: & ultrò
Sæpè manus famulum tractat herilis opus.
Quàm ſapis! Indè abiens ab Avorum fronte, Corona
Inſedit capiti clarior illa tuo.

Id. Epigr. II.

Magna licet, Regum quòd jã Genus hauſeris; at quòd
Tàm benè calcaris, Gloria major erit.
Naſcenti Genus hoc Puero decus addidit hauſtum:
At Generi naſcens Tu decus ipſe tuo es.
Saberæ jam nulla Domus foret umbra ſuperſtes.
Ni Tu calcaſſes, fulſerat illa minus.

Eo temporis in lucem editur, quo per Vaſquum Gamam Novus ad Orientem Terrarum Orbis detegitur.

Epigr. III.

VAſque, novum veteri Mundum perge addere Mundo;
Primus & ignotas Tethyos ire vias.
Perge, indignantem Oceanum perrumpere: tergo
Fac, domito audaces ferre, referre Rates;
Nam quas Tu Terris Terras; mox Matris ab alvo,
Qui dabit has Cœlo, XAVIER unus erit.

Id. Epig. IV.

Ruperat, Oceanique impervia littora Monſtris
Luſtrarat, vaſtis ſeptaque Vaſquus aquis.

Indè

Indè novus noſtro primùm Orbis panditur Orbi:
Aſtraque, nondum oculis viſa,tulitque Polus.
Naſcentemque , ſuis veluti natalibus, alter
Te præiit Puerum Mundus, & ipſe Puer.
Quantus eras,cui,Dive,novis nè deforet auſis,
Jam novus,ac duplex Orbis in Orbe patet?

Id. Epigram. V.

Naſcere, Magne Puer:quid gaudia noſtra moraris?
Te ſine, Sole ſuo nam ſine,ſquallet Eos .
Fluviorum Fons Oceanus patet : Ille carinæ
Impatiens, Gamâ jam Duce , vela vehit.
Ergò age,perge, vocat quò Te: queis deſtinat Æther,
Ingenio faciet mox, animiſque parem.

Id.Epig. VI.

Hiſpano regnata Jovi loca,plaudite: Tellus
Nulla, ſuâ nam vos Prole beata , præit.
En modò Lojolam vitales fudit in auras:
Mox eadem gremio fuderit Ora parem.
Saberiuſque ſuo dum pendet ab ubere; binos
Heroes, uno tempore, Mater alit.
En alios cur quærit Iber: Heroibus Orbis
Terrarum geminis non ſatis unus erat.

Id.Epigram.VII.

Panditur ignoti via, quà lux panditur,Orbis;
Dum tua Te properat fundere fœta Parens.
Et nova fit Mundo facies,nova littora,Cœlo
Fit nova, velivolas quæ regat Urſa Rates.
Clauſtra ſolique, ſalique patent, quæ divite Ganges
Æquora, quæ nigrâ vel rigat Indus aquâ.
Formandus Lojolæ aderat: Dive,additur Orbis,
Quem Tu formares. Quis neget, ergò, pares?

P. Fr. Petrus Covillonius,
Dum ab Indis pro Chriſto telis transfigitur, Xaverii ortum, perque eum Indos Chriſto adjungendos, multis ante annis prædicit.

Epigr. VIII.

ANte ſinu Te fœta Parens quàm geſtet, Eöis
Vatidico Populis præcinit ore Petrus:
Venturumque docet nigros moriturus ad Indos;
Quò diû nigror Naiade terſus eat.
Una Fides tunc ſceptra reget, Crux una, Tonantis
Relligio; quæ tot diruet una Deos.
Hæc procùl eventura docet: ſat vota futuri
Saberi in pretium, non niſi longa forent.

Id. Epigr. IX.

Petrus ab intortis moriens haſtilibus, ortus,
Saberi, fertur præcinuiſſe tuos:
Teque etiam primâ terſurum labe Parentûm;
Lota eat ut dio è gurgite prima dies.
Hæc fatus: lethoque volens tùm lumina clauſit:
Saberum fuerat nam ſibi noſſe ſatis.

Id. Epigr. X.

Dive, tuos ſimul ac Petrus prænunciat ortus;
Ille, ſui roſeus rore cruoris, obit.
Naſcentem, periit, Te poſtquam prodidit: Eos,
Scilicet, oſtenſo nam quoque Sole, perit.

Id. Epig. XI.

Quid me vulnifico Gens opprimis improba nimbo;
Cui totum multâ è cuſpide Corpus hiat?
Fruſtrà & ovas: tantoque Tibi de Crimine plaudis.
Non impunè diu Criminis Auctor ovat.
Nempè, erit, Eöas Heros cum vectus ad oras,
Tota Deûm ruet hæc cæca ſuperſtitio.

Tunc

Tunc mihi & ultor erit, quē optem, atq; Idolia cernent,
Non Idololatras plectere ſupplicium.
Sic Hominem telis malè dum configitis; ultrix
Juſtior in veſtros irruet ira Deos.

Id. Epigram. XII.

Te jaculis dum, Petre, manus petit impia: ferro
Saucia dum fuſo membra cruore natant;
Saberi loqueris cunas. Mens præſcia verſat
Candida lac: roſeo corpus ab imbre rubet.
Sic Indis Puerum benè præcinis. Ilicet, Indis
Venturi rutilat Nuncia Solis Eos.
Te fari quis vera neget, qui Numinis Idem,
Saberique, ſine haud ſanguine, Martyr eras?

Diu Chriſtum propiùs ſequi abnuens, D. Ignatii, ac Petri Fabri operâ, dat tandem manus.

Epigr. XIII.

An tua robur, & æs circa it præcordia triplex?
Quæ nam animi tanta eſt hæc Tibi duritia?
Nec Jesu vis ſigna ſequi, nec caſtra vocantis:
Surdâ adeò, Juvenis nil miſer, aure capis.
Nempè caduca tenent: urget Te ſi qua Cupido,
Nulla mora eſt: Jesu ſed comes ire negas.
Jam Te te, ut libet, obdura: nam ferreus ut ſis;
Hìc Faber, hìc, qui te molliat, Ignis adeſt.

Id. Epigram. XIV.

Indue jam faciles animos, Francisce: vocantem
Fabrum, Lojolâ ſub Duce, jam ſequere.
Si Faber, & Chriſto jungent Ignatius; Igne hoc,
Hoc Fabro, proh quantum in Styga Fulmen eris?

Longè alio à Fratrum Inſtituto, præ Marte Palladem ſectatur: ac Pariſiis ſub Preceptore, Veneris mancipio eque, ac Magiſtro, mira dat exempla Pudicitie.

Epigr. XV.

NUlla ne Te Fratrũ Virtus rapit æmula? Victrix,
Præque Oleâ, Laurus Martia ſordet humi.
Ingenii mitis Iuvenem cepere Minervæ.
Illecebræ: Laus ac nulla cruenta placet.
Aſt alium verſat Deus ipsâ in Pallade Martem:
Arma hæc, ſed pugnæ nobilioris erunt.
Vana ruetque Superſtitio, Delubraque: eoſdem
Involuetque ſuos una ruina Deos.
Te Duce, bella ciet ſtygio Deus aſpera Sceptro:
Alter cui ſpolium (nil minus) Orbis erit.

Id. Epigr. XVI.

Eſt Tibi ſat dives, Saberi, à Pallade Doctor;
Qui ſophiæ totas pectore condit opes.
Aſt Idem turpi Veneris malè carpitur æſtu:
Uritur; ac Cyprio, quos docet, igne cremat.
Doctori debes, quæ diſcis; ſed Tibi ſoli,
Quæ non dediſcis, nempè Pudicitiam.

Id. Epigr. XVII.

Hunc audis, FRANCISCE, calet dum ſanguis; & Ævi
Flore vigens, omnis dum juveneſcit Amor.
Tu ſed Acidalio flueret cum ſordida limo,
Illimes hauris Palladis unus aquas.
Nempè, placet Virgo hæc, ſordet corrupta: Pudico,
Scilicet, hoc ſapere eſt, non ſapere, ut ſapias.

Id. Epigr. XVIII.

Quòd Tibi docta ſatis Mens ſit, FRANCISCE; decorâ
Impedit emeritum fronde Minerva Caput.

At non una ſatis: Veneris quòd neſcia candet,
Aſtrorum huic tortis nexibus Orbis erit.
Sic aliis ſimplex, Tibi duplex: Altera quod ſcis,
Altera, quòd neſcis, laurea, & hæc melior.

Ad Xaverii Præceptorem.

Epigram. XIX.

VRbe doces, luteo ſordet quæ nomine: cultu,
Quæque nitet, Domini Ver ubi flore tumet.
Tu quoque, ſeu ſophiæ calles, ſeu Cypridis artes,
Unà ſordeſcis corde, ſed ore nites.
Adverſas jungiſque Deas: Tecumque morantes,
Pallas amica Tibi eſt, eſt & amica Venus.
Proh! ſcelus! Huic quæ nam ſceleri par Pœna; vel ipſa
Cui Pallas Virgo, è Virgine Mœcha fuit?

Magdalena ſoror, de futuro Fratris ad Indos Apoſtolatu divinitùs edocta, Patrem, qui ab ſtudiis Franciſcum removere præ nimio ſumptu decrerat, à conſilio per literas avocat.

Epigr. XX.

AH Cave, nè ſophiæ, Genitor, Fratrem abſtrahe curis:
Mox operis pretium, ſcilicet, Orbis erit.
Namque novo Fratrem Deus Orbi deſtinat: Indis
Qui Chriſtum, inviſam qui ferat ante diem.
Nox ibi cæca, ſolo quantis ſimùl incubat umbris!
Pellere nam toto Sole nequivit Eos.
At ruet indè Domus, quæ decoquit. Ilicet, Orbis
Quale putas pretium, ſi ruat una Domus?

Inter primas Spiritus exercitationes, vinctis manibus, pedibuſque, ad orandum Deo ſe ſiſtit.

Epigr. XXI.

VInciris nexo palmas in vincula loro,
Atque pedes, longâ dum prece Numen adis.
Siccine, more Reûm, ſimulas habituque reatum;
Quem nullâ gravior compede culpa ligat?
Ire Dei poſthac an ſiċ vis nutibus; ut Te,
Nilque Tui flectas prorſus ad arbitrium?
Quàm ſapis! Iſta juvent ut vincula, diſce: ligaſſent
Ni Te; libertas jam Tibi nulla foret.

Id. Epigram. XXII.

Saberum tortâ devinctum cannabe, cernis;
It ſimul in longas mente, vel ore preces.
Pone metum: prædæ compos, Lojola, fugacis
Tutiùs ut fieres, incidit in laqueos.

Id. Epigr. XXIII.

Non benè Lojolam ſequeris, FRANCISCE: ſequentem,
Caſtra ſequi ſua Dux hic, & ad arma vocat.
Vincla Ignatiadasne decent? Tuus anne ab inermi,
An referet victo è Milite Ductor opem?
At ſi vincla placent; pedibus vincla indue, Miles
Neu fugias: palmas exue, quò ferias.
Fallor: namque manu Lojolæ promptior ille eſt,
Qui facere, arbitrio qui nequit ire ſuo.

Quòd plus nimiò ſibi currendo, ſaltandoque indulſerit; cruribus, brachiiſque arctiſſimè funiculo conſtrictis, ad mortem propè ſe cruciat.

Epigram. XXIV.

LUdere quòd curſu Tibi mos, quòd ludere ſaltu;
Arctiùs intortâ cannabe crura ligas.

Et

Et nullo nocuos malè plectis nomine luſus:
Deficiens nimio præque dolore,cadis.
Expertem ſed Te dum plectere criminis audes;
Non jam culpa Reum Te tua:Pœna facit.

Id. Epigram. XXV.

Indulſiſſe nefas fuerit,fac,ſaltibus:anne
Supplicium levis hæc tam grave culpa feret?
Reſticula innexo circum it ſatis aſpera nodo;
Excruciat fœdè faucia crura dolor.
En moreris:Fugientem animam non vincla morantur:
Quòque magis vincta eſt, ocyor illa fugit.

Id.Epigram. XXVI.

Currebas benè,Saberi,curſuque Juventæ
In medio, lapſus neſcia vita fuit.
Funiculiſque tamen torquent,diroque cruentant
Supplicio, adſtrictos linea vincla pedes.
Quoſque ligant,lacerant malè noxia. Dic age, lapſus,
Si benè currebas,quodTibi Crimen erat?

Id. Epig.XXVII.

Sic Choreæ me cepit amor: Tempuſque libebat
Luſibus his(heu Res quàm pretioſa)teri.
Jam meritas dabitis mihi pœnas,Crura:Voluptas
Longè erit excrucians, quàm data Pœna,minor.
Tortile ſupplicium adſtrictâ ſic compede pendam:
Culpa pedes ſolvit(ſat benè) Pœna ligat.

Id.Epigram.XXVIII.

Luſeris ut ſaltu nimiùm, curſuque; ligandi
Siccine erant arcto poſt Tibi fune pedes?
En lethi properas horam tam præcocis. Uno
Pro luſu hoc,pœnas non dare, velle mori eſt.

Id. Epigram.XXIX.

Xaverius ad Socios.

Siſte gradum,dilecta Cohors:Comes ipſe viarum
En jaceo: ceptam nec licet ire viam.

Quæ

Quæ tanti ſit cauſa mali,ſi quæritis;ultrò
Me Pudor hanc vetat edicere, cogit Amor.
Cogit Amor,cogitque Dolor.Jam ſaucia linquit
Membra vigor: miſerã hanc vixque trahunt animã.
Peccatum ſaltu ſatis ante eſt : Cruribus æqua,
Saltarant nimiùm,Pœna,nec ire queant.

Id. Epigr. XXX.

Nam quæ tam multâ Tibi res cum Cannabe : quâ Te
Quâ tua tot nexa in vincula, membra ligas?
Tene latet,quàm longa manet via?Parvulus ibis,
Quà Sol , quà Mundo prima dies oritur :
Extremique jacent ubi Japones. Ibis in Orbem ,
Ipſa ubi vel reliqvum nil habet Orbis Eos.
Nempè ligant,non iſta tenent Te vincula . Ad Indos,
Mirum! ut eas,Pietas abſtulit antè pedes.

Id.Epigr.XXXI.

Uulneribus defoſſa latet ſic Cannabis; ullâ
Quæ cædi Medicæ non queat Artis acu.
Quid Comites?cari capitis jactura dolentes
Hos habet: occulto nec Medicina Malo eſt.
Unà omnes in vota abeunt: ac ſupplice quærunt,
Jam conclamatæ lucis opem lacrymâ .
Sponte ſua diſciſſa cadunt ſic vincula: Ferri
Quæ vis non potuit , lacryma ſola facit .

Id. Epigram. XXXII.

Te luſtranda tuis vocat Eos greſſibus : Eos
Per Te lota ſuas tergere amat maculas .
Mille quater decies Tibi ſtant frangenda Deorum
Signa,vaporàtis Numina fœda focis.
Tuque jaces? ſtrictoque pedes, & brachia nodo,
Corruis: & vinctus nil ab utriſque vales.
Ah cave,Dive,tuis plaudant nè Tartara vinclis.
Plus nihil his pedibus Styx timet,aut manibus.

Indi, Æthiopis ore Xaverii humeris inſidentis, opemque implorantis Somnium.

Epigram. XXXIII.

QUæ Te Viſa? tui turbant quæ dulcia ſomni
Otia; feſſa thorus vix ubi membra levat?
Æthiopem geſtas humeris: tantoque fatiſcens
Pondere, ſudato totus ab imbre fluis.
Evigilanſque trahis vix, heu! ſuſpiria: vires
Namque oneri nullæ ſunt Tibi, Dive, pares.
Vana dehinc poterit quis dicere ſomnia? Tantum
Dum tua, Saberi, ſomnia pondus habent.

Id. Epigram. XXXIV.

Quiſquis es, inſuetos oneri qui mole fatigas
Noctu humeros: noctis cui ſedet ore Nigror;
Abſtineas quæſo. Teneros labor improbus artus
Comprimit: & pleno defluit amne latex.
An pretium ignoras ſudati Roris? Eöi
Bacca minus Rore hoc eſt pretioſa maris.
Hunc ubi nacta: ſuum ſemel os ubi laverit; ibit
Prima, nitens vultu candidiore, dies.
Ergo hoc jam Te Rore lava: Ros hic cute nigrum
Non lavat Æthiopem, ſi lavat Æthiopem.

Id. Epigr. XXXV.

Pondere quid tantûm curvaris prorſus inani
Æthiopis, promptam, Dive, rogantis opem?
Te ne adeò vel ſpectra premunt; ut languida ſomno
Evigilent, madido membra natentque thoro?
Scilicet, impoſiti levis hæc Tibi ſarcina Monſtri
Non erat: impoſiti Pondus id Orbis erat.
Ergò oneri ſuccede volens: unuſque ferendo
Par, novus Eöi bajulus Orbis eris.

Sopi-

Sopito tantum ſudoris is elicit: Idem
Plus Tibi, ſed vigili, ſanguinis eliciet.

Id. Epigram. XXXVI.

Impoſito nè jactet Athlas, quòd Sidera Mundo,
Quòd tantùm excelſo vertice vectet onus.
Plus ſibi vel nigro plaudit Saberus ab Indo,
Quo premitur; ſenſus ſopit ut alta quies.
Ille humeris Cœlum: Hic in Cœlum ſuſtulit. Ille
Aſtra vehit: plùs eſt: Hic at ad Aſtra vehit.

Id. Epigram. XXXVII.

Quàm gemis! Huic toto vel niſu corporis impar,
Dive, oneri, expreſſo totus ab imbre fluis.
Dic age, quid Rerum facies ſub pondere; quando
Tantum, nil præter ſomnia, pondus habent?

Id. Epigr. XXXVIII.

Quæ Tibi ſopito Æthiopis ſe prodit Imago;
Sarcina Vectori quàm gravis illa ſuo eſt!
Namque humeris impoſta, ſuá ſub mole ſatiſcenti,
Expreſſit, fontis more fluentis, aquas.
Somnia nè credas: ſunt omina, Dive: cruorem
Dant alii: aſt Indis Ipſe dabis latices.

Id. Epigram. XXXIX.

Miraris? ſenſu verſas quæ ſæpè diurno;
Hæc ſopor, hæc eadem Nox ſimulacra refert.
Sæpè Indos Tu mente petis: Romæque morantem
India Te, totiès, ipſa petita, petit.
Nempè moræ haud patiés, celeré ciet anxia: Multùm,
Saberi, ut cupias; Te cupit illa magis.

Id. Epigram. XL.

Ut, Franciſce, mades, nigro malè preſſus ab Indo!
Vix ubi Nox oculos preſſit, & alma quies.
Quæ Te facta manent, diſce hinc, quæ fata: Laborum
Faſce, tuo cum Indos laveris imbre, cades.

Id.

Id Epigr. XLI.

Ivimus extremos, per inhoſpita littora, ad Indos,
Deliciis rapti, divitiiſque ſoli.
Non hæc, Saberi; Te vis rapit illa laborum:
Hæ Tibi divitiæ, deliciæque ſorent.
En humeros cur Viſa premant. Alia omnia cunctis
India; Sabero non niſi Pondus erit.

Id. Epig. XLII.

Solveris in latices Indi ſub imagine: quæ Te
Sopitum, nocti concolor ore, premit.
Proh quis Amor! Pietas quæ! Nè Tibi deforet unda,
Quâ, nempè, elueres; ſolveris in latices.

Quantum ſibi malorum apud Indos devorandum, monſtrante Deo, Plura Domine, Plura, exclamat.

Epigr. XLIII.

QUæ mare, quæ Tellus, & quæ Te Japonis atrox
Barbaries, Indi brutaque ferre dabit,
Dira vides ſimul omnia & aſpera, & horrida. Nempè,
Sabero haud fuerant ſingula ferre ſatis.

Id. Epigram. XLIV.

Dive, vides gemino quidquid feret India luſtro,
Et facere, & Jesu ſæpè volente, pati.
Te glacies, Te ſaxa, feræ, Te toxica, & ignes,
Tela, fames, multis Mors petet una modis.
Inque unum bis mille caput diſcrimina; mille
Vita catenatis mortibus una patet.
Ah quid plura rogas? Pœnarum, Dive, laborumque
Haud eſt iſta fames, crede, ſed ingluvies.

Id. Epigr. XLV.

Plura, ais, ò Jesu pro Te bone, Plura: laborum
Sylva hæc eſt votis quàm minor illa meis!

Me

Me nive,meque mari plus obrue:non placet, uno
Si qua mihi veniet funere fœta dies.
Hæc ait: Ah,cave, quis fuerit jam quærere: Vocem
Hanc hominis,Vota hæc eſt Tibi noſse ſatis.

Id.Epigr. XLVI.

Sic ad iter Saberum animas; quem ferre paratas
Mille jubes uno in corpore,Chriſte, neces?
Cuncta ſimul denos retegis ſubeunda per annos.
Ire quis hoc poſthac auſit ab intuitu?
Non hoc ire;mori longum eſt:At nullus eunti
Sabero pavor hinc, hinc mora nulla viæ.
Sic quæ terrerent cunctos vel ſingula; diſce,
Qui mala riſerit hæc omnia,quantus erat?

Id.Epigr.XLVII.

Sic,Jesu,quòd amas, animas: Saberius uno,
Quæ feret,obtutu detegis,ut videat.
Viſa ſimul,ſic ille tulit ſimul omnia. Felix!
Omnia,nempè,ſimul præmia & ipſe tulit.

Id.Epigram. XLVIII.

Quæ Tibi dura pati dabit India;præſcia Te mens
Omnia,& ante ſuam prædocet illa diem.
Binaque pœnarum prævertens luſtra,laborumque;
Hora annos Tibi dat ferre, vel una decem.
Nempè,indulſit amans Famulo Deus uſque roganti
Plura:ſimul cunctas dat properare Cruces.
Sic properata,moram Mala;ſic Tibi,Dive,ſam emque,
Quæ non feciſſent ſingula,juncta necant.

Id.Epigram. XLIX.

Nullane Te facies lethi latet?Ilicet,uni
Eſt totiès moriendum,ut moriare ſemel.
Obvia nec Mortis Te plurima terret Imago:
Vel quæ Te nudo Mox perimet ſcopulo.
Fac fuerint,timeant Mala qui poſt omnia jam nil:
Omnia nil timeas qui Mala, ſolus eris.

Sia-

Singulari Dei Providentiâ, ad Indicam expeditionem ægro Bobadillæ ſufficitur.

Epigram. L.

IActatur longo languens Bobadillius æſtu:
Saberi labor hinc jam novus Orbis erit.
Sit labor; at ſpolium dives quantùm India Cœlo
Tota erit! edomito par quis ab Orbe tulit?
Sic juvat ægrotaſſe. Salus dum quæritur Orbis;
Unius, hui! pretium quàm leve Morbus erat?

Id. Epig. LI.

Audiit hæc Bobadilla: ſui tunc tædia lecti
Plus doluit, ſortis pœnituitque ſuæ.
At chari de ſorte Viri ſat lætus; opimum
Eõi ſpolium gratulor Orbis, ait.
Nempè pares deerant vires; tantoque ferendo
Non operi Pumilus: par erat ille Gigas.
Tam malè ſic Orbis, benè ſi Bobadilla, valeret:
Ut valeat, mallet vel Bobadilla mori.

Româ ad Indos abiens, unum Chriſti Cruce fixi ſignum cum Breviario ſecum habet.

Epigr. LII.

DIve, abiens Latio, feros dum pergis ad Indos;
Crux eſt confixi Numinis una comes:
Quoque preces fundi Superis mos ore, libellus;
Tota hæc ſpes longæ eſt, ſubſidiumque viæ.
Nempè, mari ſic tutus eras: cui Numine in uno
Et Pharus, & parvo in Codice Pyxis erat.

Olyſipone item, ſummâ Rerum omnium in egeſtate ſolvit in Indiam.

Epigr. LIII.

Solvis inops; unàque comes mare navigat Indum,
Invicta ad Regum munera Pauperies.
Omnia nam pauci tua vel, Francisce, Libelli,
Vile vel ad noctis frigora Tegmen erant.
Nempè nova aggrederis Rerum commercia: Cœlum,
Aſtra dabas & venalia, ſi quis avet.
Quiſque ſuas vectat merces Mercator ad Indos.
Quæ tua? Non dum Indis cognita, Pauperies.

Proficiſcens ad Indos, nè Fratribus quidem, Matrique valedicit.

Epigr. LIV.

Non rediture, alium, Saberi, pergis in Orbem:
Et renuit Matri dicere lingua, Vale.
Et potes? ulla tuæ dulcem non ventilat Arcis
Proxima, nec chari ſanguinis aura facem?
Non Matri Pietas tua Te ſuprema coëgit,
Verba loqui: inviſam deſeris: inde & abis.
Fallimur. Orbis adhuc noſtri, Dive, accola, in Orbem
Non ibas alium, ſcilicet, aſt ſeras.

Id. Epigram. LV.

Nil Fratrum Te movit Amor? Movere perennes
Nil, quas ipſe cies, Matris anus lacrymæ?
Cur Te non videat, poſt haud viſura? Videre
Ni vis, at Matri, fac, videare ſemel:
Poſtremùmque loqui, atque in amatos lumina vultus
Figere fas: lacrymæ dummodo merſa ſinant.

Ibis,

Ibis, ubi Rerum abdit ſe Natura, latetque
Ignota: haud noti Funus & Orbis eris.
Siccine Barbaries Tibi cordi eſt, Dive, cadenti
Ut Gnatum Matri nec ſinat eſſe Pium?

Egregium Pudicitiæ Exemplum, in Indiam Solvens, ſocio aperit: Obiectum, ſcilicet, Puellæ ſomnium, erumpente è venis ſanguine, in fugam actum.

Epigr. LVI.

AGgreditur noctu Juvenem: formâque Puellæ
Huic parat inſidias illice, & arma Venus.
Seque dolo, vi ſeque tegit: ſimul urget inermem,
Sopitumque, armis, & prior excubiis.
Quid Juveni timeam timido tam ex hoſte? ſat hoſtem,
Qui ſic aggreditur, nam timet ille ſuum.

Id. Epigr. LVII.

Nulla quies laſſo eſt. Operi, Sabere, diurno
Succedunt Cypriæ prælia dura Deæ.
Dulcè ſoporatum ſcis, cur petat improba Amorum
Te Dea? Deſperat vincere nam vigilem.

Id. Epigram. LVIII.

Vincere ſopitum ſperabas: atque pudicum
Ante Caput, quàm ſe ſentiat, hoſte capi.
Falſa es: vel clauſo deprenſa es lumine. Caſto
Excubias Juveni nam quoque ſomnus agit.

Id. Epigr. LIX.

Excubat? Hocque parum eſt: ſācto pugnatque Pudori;
Nec ſatis Ut ſputo Cypridis arma teri!
Cur noctu hæc cecidiſſe doles? ſpectanda diurni
Sideris haud uno hæc luminē Laurus erat.

Id. Epig. LX.

Nox erat: obſcurâque tegens ſe nocte, Cupido
Molitur caſto ſomnia fœda thoro.

Digitized by Google

Iuvaditque Virum, ſibi nil à fraude timentem:
Luſit Acidalios ſic quoque at ille dolos.
Namque ſibi obiectam vix, turpis Imaginis umbram
Excutit: & victor vel ſopor hoſtis ovat.
Nè pereant, alii vigilent, FRANCISCE; Pudori
Tu dormi: ſomno tutus & ille tuo eſt.

Id. Ep. LXI.

Telo ubi, Dive, peti, fœdoque Cupidinis arcu.
Te ſentis: Tibi nec prompta dat arma ſopor;
Ultrò indignanti, venâque excuſſus apertâ,
Hoſtis in os imo ſe jacit ore Cruor.
Pavit & ille novum teli genus: irrita it arcus
Qvo vis, quo pharetræ vanaque tela cadunt.
Auſa Venus nil indè, Puer nil auſus. Utrique
Quæ cauſa eſt, quæris? Fugit, & Erubuit.

Id. Epig. LXII.

Fugit, & Erubuit? ſatis haud hoc: namque pudici
A telo periit ſanguinis icta Venus.
Uſque Rubor Veneri, Venus eſt inimica Rubori,
Quiſquis amas Venerem perdere, fac, rubeat.

Id. Epigr. LXIII.

O quem Te memorem nivei præ flore Pudoris?
Præ Te, Saberi, Lilia nigra putem.
Namque ſemel Venus auſa tuo eſt illudere ſomno?
Sanguine ſed luſum, vel ſine labe, luis.
Sic, nempè obſcæni terreris imagine Viſi;
Ut venâ exiliat pulſus hiante Cruor.
Crimina terguntur lacrymâ: vel Criminis umbram
Ex Te, quæ tergat, ſanguinis unda fluit.

Id. Epigram. LXIV.

Ah quid agas, FRANCISCE? Tuos ſopor alligat artus;
In te dum fœdis pugnat imaginibus:
Subdola nam ſomno vinctum Venus impetit. Audet;
Nil quod ab invalido, ſcilicet, hoſte timet.

Sed quàm falſa, ſuo didicit mox improba damno,
Vincere vel vinctâ Te quoque poſſe manu.
In pharetram vertis nudum nam pectus;in arcum
Os: atque hinc ſaliens dat Tibi tela cruor.

Id.Epig. LXV.

Dulcia Sabero vertunt in prælia vitæ
Otia Acidaliæ turpia Viſa Deæ.
Compelluntque ſuo perfundi ſanguine: Palmam
Sed tulit,erumpens Victor ab ore Cruor.
Quis Pudor eſt Cypriâ vinci face,diſcite:vicit
Saberus Cyprim; vicit, & erubuit.

Id. Epigram. LXVI.

Cypridis arma teris ſputo,Sabere, cruento;
Non telo poterant hæc meliore teri.
Turpius id victæ,Victori clarius:illam
Sic pudet: hic veluti murice amictus ovat.

Indico in itinere Socotorani rudis omninò Idiomatis, nutu tamen,geſtuque Indigenis Chriſtum annunciat.

Epigr.LXVII.

Lucrature Deo Indigenas, FRANCISCE; loquelæ
Inſcius,hos mutis alloqueris digitis.
Sacra manuque doces: tacitiſque edocta labellis
Gens,animo, quæ non audiit aure, capit.
Execrata Deos, viſu ſic credidit uno.
Res proh mira! Fides cæca fit ex oculis.

Id.Epigr.LXVIII.

Nulla Fides oculis, quæ nixa videntibus: ulla
Non foret; ex oculis ni foret iſta Fides.

Id. Epigram. LXIX.

QUis ſit in Orbe Deus,Rerum quis, & Auctor,& omnes
Pandere amas veræ Relligionis opes.

In patrios ſed verba ſonos ars flectere nulla eſt:
Nulla tuos capiet barbara Turba ſonos.
Heu,quid agas,muto planè par? Munera linguæ
Tranſtulit, & mutas edocet ille manus.
Dixit,& ore ſilens ſic; Chriſto ut plurima geſtu
Lecta Cohors fuerit,plurima lecta Polo.
Diſcite,quid valeat Saberi lingua;loquaces
Cui tam vel mutæ,nempè,fuere manus.

Id. Epig.LXX.

Ore taces, Indiſque ſonat nil auribus; at Gens,
Dive,tuos didicit plurima per digitos.
Dicebant Veteres oculatas; dicere quidni
Linguatas etiam fas erit indè Manus?

Id. Epigr. LXXI.

Saberi nil labra ſonant: incredula, verbis,
Vel ſine quî potuit credere Barbaries?
Eſt Auris nam Gnata Fides:verboque marito
Conceptam;tacito in pectore fœta parit.
Gens tamen indocilis benè ſic edocta,videndo
Credidit: hanc viſæ perdocuere manus.
Hæc tua vis,FRANCISCE; oculos ut cæca parentes
Ipſa habeat; cæca hinc nec ſinat eſſe Fides.

Id. Epigram. LXXII.

Per digitos immiſſa Fides,Socotora, loquaces,
Sic tua vel muto gutture corda ſubit.
Illius ingenium fas hinc ediſcere. Credis?
Scito, minus linguæ, plus habet illa manus.

Id. Epigram. LXXIII.

Mira patras! Inter tua,Dive,ſilentia Chriſtum
Præco doces:digitis primus & hunc loqueris.
Sic quæſita Polo,diâ Gens tingitur undâ:
Calcat adoratos,ac terit indè Deos.
Brachia quid valeant, hinc diſcite: corruit unis
Saberi digitis tota ſuperſtitio.

Id.

Id. Epigram. LXXIV.

Multa oculis, geſtu, nil auribus ore loquuto,
Ipſa eſt, Saberi, jam Tibi Dextra loquax.
Erranteſque doces, Idololatraſque ruentes
In Styga, quo ſubeant ſidera calle, mones.
Unius imperio facies cum mira loquelæ;
Materies linguæ nulla doloris erit.
Altera in alterius ſuffectæ munera: Lingua
Tunc faciet, Tibi nunc ſi Manus eloquitur.

Id. Epigram. LXXV.

Utraque Saberi Chriſtum Manus indicat: Index
Baptiſtæ digitus cur, cedo, ſolus erat?
Ille Dei Præco magno datur, ilicet, Orbi:
Hic uni tantùm Præco datur Populo.

Primus Xaverii labor apud Indos,
Piſcariæ Regio, ab Vnionum piſcatu celebris,
ad Chriſtum converſa.

Epigr. LXXVI.

Piſcaris ora labor Saberi primus, Amorum
Primaque fax; dio lota quòd amne prior:
Eſt duplex Tibi Ros: primo pluit alter Eöo:
Alter Saberi primus ab ore pluit.
Indè ferax meliùs. Gemmas Tibi Rore dat illo
Cœlum: Tu Cœlo Rore ſed hoc Animas.

Id. Epigram. LXXVII.

Lactea dona ferens, pluviiquè coagula Roris;
Non hinc gemmifero Terra beata mari es.
Sed quòd prima bibis, qui Ros de fronte fluebat
Francisci: pretio quàm prior iſte præit!
Diſcere amas, cenſu præſtet quàm divite? Roris
Eſt hujus pretium Gutta vel una Poli.

Id. Epigr. LXXVIII.

Piſcatu pretioſa ſuo, facturaque nomen.
Indè ſibi, ſolo fertilis ora mari:
Concreti quæ Roris opes, quæ lactea lucis
Munera fert: Sol queis parvus adhuc alitur.
Quæque creat, vili condit ſub cortice, avaris
Ditia vota viris, vota legenda mari.
Has Paravi piſcantur Opes: FRANCISCE, ſed ipſos
Piſcaris, JESU Præſide, Tu Paravos.

Id. Epigram. LXXIX.

Hac primos piſcaris aquâ, Sabere, lapillos:
Addita quos cupido vertis in Aſtra Polo.
Mille ſacrâ Pueros Cœlo vix Naiade lotos,
Adſcribis, ſtygio Pignora rapta lacu.
Eſto aliis ſcateat Thetis hæc; has Tu cape gemmas:
Nulla eſt piſcatu nobiliore Manus.

Id. Epigr. LXXX.

Quò Paravos Chriſto quærat Saberus; arenarum
Ipſe per immenſas itque, reditque vias:
Quas pede nudus obit, rabido ſub ſole calentes:
Æſtuat, & fuſo totus ab imbre madet.
Eſt Tibi, nempè, parum, ſi tantùm laſſet arena:
Vis etiam laſſos urat ut illa pedes.
Miramur, Fidei ſteriles quòd veſtit arenas
Tanta seges? Tantus ſemina ſudor erat.

Id. Epigram. LXXXI.

Nulla viæ cura eſt, calido ſub ſidere? Chriſto
Quærebas animos: nullane cura Tui eſt?
Ardebas alio, majori, ſcilicet, igni:
Non potuit non huic cedere flamma minor.

Xai

Xaverio Auctore, collatum ad fidei incrementum, quod ab Vnionum Piſcatoribus in Portugalliæ Reginæ Crepidas pendebatur, Vectigal Crepidarum dictum.

Epigr. LXXXII.

GEmmarum ſcrutator aquis,has Indus opimas
Reginæ in Crepidas, quàm malè pendit opes!
Non adeò viles Matuta crearat in uſus:
Calceus ut niteat, nec benè vita perit.
Una ſalus Animorum tanti eſt. Aſtra quot Indis
Hoc pretio,Conjux Regia,nempè,dabis?
Damna nec indè feres: quin lucro, ſiqua,repone.
Amittis Crepidas: Sidera calce teris.

Id. Epigra. LXXXIII.

Margaris orta mari,Cœlo Genitore,paternâ
Stirpe tumes:ſanguis flos Tibi Roris erat.
Proh pudor! Es Crepidæ nunc vectigalis: & ipſas
Lucis opes faſtu fœmina calce premit.
Quàm benè Te Pietas meliores vertit in uſus :
Et ſoleæ in cenſum Doridis Aſtra negat!
Hiſque Polum mercata,Nurus Regina per Orbem
Altior inceſſit,cum poſuit Crepidas.

Humi ſolitus ſomnum capere Xaverius, vel in Paravorum Retibus.

Epigram. LXXXIV.

DUm Paravos Chriſto captas; ubi feſſa reclines
Membra, parant Parauûm Retia ſæpè thorum;
Gens duris aſſueta: Mari cui Cenſus in uno
Linea cui vitæ Vincula victus erant.

Red-

Reddidit illa vicem: Te cepit capta: Tuique
Ut ſecura, ſuos induit in laqueos.

Id. Epigram. LXXXV.

Sabero quid Rete thorum dat? ſcilicet, olli
Piſcator noctis vel propè ſomnus erat.
Namque etiam curas agitat de nocte diurnas.
O ego, ſopitus quæ is, vigil & faciam!

Id. Epigram. LXXXVI.

Excipiunt Te, Dive, thoro cum Retia noctu;
Unde die labor eſt, eſt Tibi & indè quies.
Ipſe Hominum Piſcator eras. Quis crederet? Ipſum
Vel Piſcatorem Retia jam capiunt.

Id. Epigr. LXXXVII.

Dive, die Paravis implebas Retia: ſed Te
Plena dehinc Parauûm Retia nocte tument.
Incidis in caſſes Prædo pius: ipſa tenaces
In laqueos urgens Te tua Præda capit.
Et capis, & caperis. Captum plus miror: Olympo
Præda minor, Prædo ni capereris, erat.

Apud Paravos mira admodùm patrat per Pueros ſua Catechesios.

Epigram. LXXXVIII.

LUſtrali Pueros vix expiat Unda lavacro;
Cum Te, Saberi, mira jubente, patrant.
Nulla Lues, parvæ vis nec Stygis ulla Catervæ,
Quæ non imbelli ceſſerit imperio.
Eſto aliis feciſſe decus miracula Divis?
Hæc facienda aliis, Dive, dediſſe, tuum eſt.

Id. Epigram. LXXXIX.

Morborum rabies, furor Orci ſævior, iſthæc,
Parva licet, fugiens agmina, ſic cecidit.

Sa-

Sæpè minuta Phalanx ſimul eſt aggreſſa, furentem
Expulit: eſtque unis Laurea parta minis.
Erubuit, vincique dolens ſic, plus furit hoſtis:
Non poterat vinci debiliore manu.

Id. Epigr. XC.

Quàm benè Tartareo illudis, Franciſce, Tyranno?
Nulla Tibi pugnæ eſt alea: victor ovas.
Vincendum Pueris hoſtem das. Scilicet, Orcum
Franciſco totum vincere, ludus erat.

Id. Epigr. XCI.

Tàm parvo magnos inſurgis Milite in hoſtes?
Non Lea, non Lepores Tigris, & Urſa pavent.
Noſco: minùs ne diſpliceat victoria; victos
De Victore ſibi poſſe placere, vetas.
Nam quos vel viciſſe Pudor; quid ſi quis inermi,
Ac propè lactenti Milite victus abit?

Id. Epig. XCII.

Heu! Hominem toto Dæmon quatit impete: Dæmon
Hoſpes & ipſe ſui eſt hoſtis, & hoſpitii.
Spumat Apri vel more; fremit vel more Leonis
Jejuni: atque uno in Dæmone multa fera eſt.
At rident Pueri: imbellis Styx tota phalangis
Luſus, iò, cunctis quæ modo Terror erat.
Fraus olli ſat multa: time, quicumque timentem
Vincere vis: ride Dæmona terribilem.

Id. Epigram. XCIII.

Ludicra Res adeo eſt tantùs de Dite Triumphus;
Una ſit ut Pueri Crux ſatis, una Manus.
Intulit Iſte Deo arma? Polo tot prælia movit?
Et voluit tumido ſidera calce premi?
Jam ne tumet? Puero pudeat Victore: Superbus
Non meliùs poterat detumuiſſe Tumor.

Id.

Id.Epigr. XCIV.

Heus Pueri? mea Cura, Cohors, cui candida Morum
Simplicitas, lacti concolor. Heus Pueri?
Quò vocor, ite: vicemque mei ſupplete: Protervum
Tartarei Caput obtundite, & arma Ducis.
Vobis Arma hæc Crux, Sacrarum & carmina vocum:
Certa erit hòc cantu laurus, & hoc baculo.
Nempè, hos excantant Colubros ea carmina: nil hi
Plus, parvo hoc metuunt quàm ſibi fuſte, Canes.

Ad quadraginta Idolorum millia manu ſua Xaverius frangit in India,
Id.Epigr.CXV.

Mille quater decies, incuſſo dextera malleo
Saberi falſos conterit una Deos.
India nè doleas: nulla hinc jactura: Deumque,
Dextra, Deos quæ tot ſubſtulit, illa dedit.

Id.Epigram.XCVI.

Quàm ſibi fœda forent Sacra, Te, Franciſce, magiſtro;
Indus ubi vidit; vidit, & erubuit.
Turpia dejectis ruere omnia Numina templis
Cœpta hinc, & multo verbere Signa teri.
Tanta Superſtitio ruit, ac vis tanta Deorum!
Hæc potuit (quiſnam crederet?) una Manus.

Ad duodecies centena hominum millia, ſacro fonte manu ſua luſtrat.
Epigr. XCVII.

Mille bis ac decies, centenaque millia Cœlo
Aſſeruit, ſacro qui fluit amne, latex;
Saberi, puræ Populos aſpergine Lymphæ,
Dum labem primi Criminis ipſe lavas.

Di-

Dicite, iò Pæan, Sabero dicite: Nulla
Par victo ſpolium cepit ab Orbe Manus.

Id. Ep. XCVIII.

Sabero ſubmitte volens caput, India: Sacri
Expiat iſta vetus fluminis Unda nefas.
Naïs ubi corpus lavit, deterſa Parentum
Noxa: nitens animos præ nive Candor habet.
Hæc vel Gutta facit. Guttæ cum divite fluctu,
Oceane, huic pretium par neque totus eris.

Xaverius voce, at viribus ſæpè defectus; dum ſacro fonte Idololatrarum vim magnam expiat.

Epigr. XCIX.

TE Vox, Luſtrali Gentes tot Rore lavantem,
Deficit: & nimio feſſa labore Manus.
Parce, precor, Dextræ: voci quoque parce. Parum ne
Tot tua Vox Populos, tot tua Dextra juvat?
Ni Tibi Vox; Indos nam quæ doctura? Solo quænam
Æquatura Deos; ni Tibi Dextra valet?

Id. Ep. C.

Nil heu! Vox, nil Dextra valet; defeſſaque fontem
Nec dare luſtrandis, nec potis illa loqui.
Victa Superſtitio victrix ſibi viſa vel inde eſt:
Tuque animas, vires abſtulit illa tuas.
At quàm falſa! foret, meliùs ſi, Dive, valeres;
Victa minùs: cecidit pejùs ab Invalido.
Abſtulerit vires; animas olii eripis. Illam
Nonne mori cogis, dum facis exanimem?

In Xaverio
Linguarum Donum planè admirabile.
Epigram. CI.

CEntum Te Gentes, patrio Chriſtum ore docētē,
Sol init undè ſuas, obſtupuere, vias.
Hoſpes eras, alio veniens ex Orbe; ſed Indus
Audiit eloquio Te ſibi ſæpè parem.
Eſt linguæ ſuus uſque lepor, ſua gratia: nulli
Abſunt materni Gutturis uſquè ſales.
Mirabar, formas Proteus ſe ut vertat in omnes:
Vertit in omnes ſe Lingua vel una ſonos.

Id. Epigram. CII.

Unus Homo es; ſed Turba Hominū Te fatur in uno:
Par tot vel linguâ Gentibus, unus Homo es.
Audit & hanc, Indum qui potat, & audit Jápon:
Meſſor odorati Ceſpitis, audit Arabs:
Brachmaneſque, & Acen, Paravûmq; ac Turba Badagū
Attonitâ patrios ebibit aure ſonos.
Miraturque ſuas alieno è gutture voces:
Ora tot ex uno diſſona ut ore ſonant.
Hinc Chriſto Gens juncta. Fides, nempè, omnibus una
Quæ potuit linguis omnibus una loqui. (eſt;

Id. Epigram. CIII.

In Te mira oculis, Saberi, viderat: in Te
Mira magis cupidis auribus audit Eōs.
Diſcordes unà tot amica in fœdera linguæ
Conveniunt, poſitâ jam Tibi barbariâ.
Mens potuit cepiſſe tot una volumina Vocum?
Ac tot barbaricos edere lingua ſonos?
Eſt aliis ad mira manus; Tibi lingua potens eſt.
Hi faciunt: ſed miracula Tu loqueris.

Id.

Id. Epigram. CIV.

Diſcordem eloquio Gentem Saberus eodem
Eloquio, quæ ſit ſemita ad Aſtra, docet.
Mira vides! Eadem in multas Vox diditur aures:
Non eadem multâ didita in aure ſonat;
Multiplicatque ſimul ſeque una immutat in omnes,
Pro variâ in varios Gente recuſa ſonos.
Indè Fides, lux indè ſimul nata omnibus una eſt,
Unius & linguæ nata miniſterio.
Sic animo ſat, Dive, tuo fit: ſcilicet, uni
Cui Gens, parta Polo, non erat una ſatis.

Id. Epigram. CV.

Sacrorum in primos linguarum munera Patres
Diſpertita cadunt,* Dius ut arſit Amor.
Scilicet, his delapſa Polo, vulganda Magiſtris,
Debuerat toto Lex ſatis ore loqui.
Quid ni multiplices dederint Tibi ſidera linguas?
Elinguem caperet, neſcia vocis, Eos?
Centenas unus loqueris. Diviſerat: Orbis
In Te nunc linguas colligit almus Amor.

Id. Epig. CVI.

Ut Sors verba tulit, fundis, Franciſce: nec uno
Mos Tibi, dum loqueris, nec ſemel, ore loqui eſt.
Japoniæ Paravam, Paravæ modò jungis Iberam:
Multa tuo ſimul è gutture lingua ſonat:
Diverſos miſcetque modos. Eſt non ſua linguæ
Ars: teſſellatum ſic propè pangit opus.
At non indè operam viſus luſiſſe; loquenti
Omnia quiſquis adeſt, ſat benè, nempè, capit.
Linguarum Babylon ruit ad diſcrimina. Linguas
Quòd Tu permiſces, India tota ſtetit.

Id. Epig. CVII.

Admiranda doces, ſeu diſcere malit Japon,
Quis Cœlo Stellas? quis maris urget aquas?
Quis

* *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, Act. 2.*

In patrios ſed verba ſonos ars flectere nulla eſt:
Nulla tuos capiet barbara Turba ſonos.
Heu,quid agas,muto planè par? Munera linguæ
Tranſtulit, & mutas edocet ille manus.
Dixit,& ore ſilens ſic; Chriſto ut plurima geſtu
Lecta Cohors fuerit,plurima lecta Polo.
Diſcite,quid valeat Saberi lingua;loquaces
Cui tam vel mutæ,nempè,fuere manus.

Id. Epig.LXX.

Ore taces, Indiſque ſonat nil auribus; at Gens,
Dive,tuos didicit plurima per digitos.
Dicebant Veteres oculatas; dicere quidni
Linguatas etiam fas erit indè Manus?

Id. Epigr. LXXI.

Saberi nil labra ſonant: incredula, verbis,
Vel ſine quî potuit credere Barbaries?
Eſt Auris nam Gnata Fides:verboque marito
Conceptam;tacito in pectore fœta parit.
Gens tamen indocilis benè ſic edocta,videndo
Credidit; hanc viſæ perdocuere manus.
Hæc tua vis,Francisce; oculos ut cæca parentes
Ipſa habeat; cæca hinc nec ſinat eſſe Fides.

Id. Epigram. LXXII.

Per digitos immiſſa Fides,Socotora, loquaces,
Sic tua vel muto gutture corda ſubit.
Illius ingenium fas hinc ediſcere. Credis?
Scito, minus linguæ, plus habet illa manus.

Id. Epigram. LXXIII.

Mira patras! Inter tua,Dive,ſilentia Chriſtum
Præco doces:digitis primus & hunc loqueris.
Sic quæſita Polo,diâ Gens tingitur undâ:
Calcat adoratos,ac terit indè Deos.
Brachia quid valeant, hinc diſcite: corruit unis
Saberi digitis tota ſuperſtitio.

Id.

Id. Epigram. LXXIV.

Multa oculis, geſtu, nil auribus ore loquuto,
Ipſa eſt, Saberi, jam Tibi Dextra loquax.
Errанteſque doces, Idololatraſque ruentes
In Styga, quo ſubeant ſidera calle, mones.
Unius imperio facies cum mira loquelæ;
Materies linguæ nulla doloris erit.
Altera in alterius ſuffectæ munera: Lingua
Tunc faciet, Tibi nunc ſi Manus eloquitur.

Id. Epigram. LXXV.

Utraque Saberi Chriſtum Manus indicat: Index
Baptiſtæ digitus cur, cedo, ſolus erat?
Ille Dei Præco magno datur, ilicet, Orbi:
Hic uni tantùm Præco datur Populo.

Primus Xaverii labor apud Indos,
Piſcariæ Regio, ab Vnionum piſcatu celebris,
ad Chriſtum converſa.

Epigr. LXXVI.

Piſcaris ora labor Saberi primus, Amorum
Primaque fax; dio lota quòd amne prior:
Eſt duplex Tibi Ros: primo pluit alter Eöo:
Alter Saberi primus ab ore pluit.
Indè ferax meliùs. Gemmas Tibi Rore dat illo
Cœlum: Tu Cœlo Rore ſed hoc Animas.

Id. Epigram. LXXVII.

Lactea dona ferens, pluviiquè coagula Roris;
Non hinc gemmifero Terra beata mari es.
Sed quòd prima bibis, qui Ros de fronte fluebat
Francisci: pretio quàm prior iſte præit!
Diſcere amas, cenſu præſtet quàm divite? Roris
Eſt hujus pretium Gutta vel una Poli.

Id. Epigr. LXXVIII.

Piſcatu pretioſa ſuo, facturaque nomen.
Indè ſibi, ſolo fertilis ora mari:
Concreti quæ Roris opes, quæ lactea lucis
Munera fert: Sol queis parvus adhuc alitur.
Quæque creat, vili condit ſub cortice, avaris
Ditia vota viris, vota legenda mari.
Has Paravi piſcantur Opes: FRANCISCE, ſed ipſos
Piſcaris, JESU Præſide, Tu Paravos.

Id. Epigram. LXXIX.

Hac primos piſcaris aquâ, Sabere, lapillos:
Addita quos cupido vertis in Aſtra Polo.
Mille ſacrâ Pueros Cœlo vix Naiade lotos,
Adſcribis, ſtygio Pignora rapta lacu.
Eſto aliis ſcateat Thetis hæc; has Tu cape gemmas:
Nulla eſt piſcatu nobiliore Manus.

Id. Epigr. LXXX.

Quò Paravos Chriſto quærat Saberus; arenarum
Ipſe per immenſas itque, reditque vias:
Quas pede nudus obit, rabido ſub ſole calentes:
Æſtuat, & fuſo totus ab imbre madet.
Eſt Tibi, nempè, parum, ſi tantùm laſſet arena:
Vis etiam laſſos urat ut illa pedes.
Miramur, Fidei ſteriles quòd veſtit arenas
Tanta ſeges? Tantus ſemina ſudor erat.

Id. Epigram. LXXXI.

Nulla viæ cura eſt, calido ſub ſidere? Chriſto
Quærebas animos: nullane cura Tui eſt?
Ardebas alio, majori, ſcilicet, igni:
Non potuit non huic cedere flamma minor.

Xaverio Auctore, collatum ad fidei incrementum, quod ab Vnionum Piſcatoribus in Portugalliæ Reginæ Crepidas pendebatur, Vectigal Crepidarum dictum.

Epigr. LXXXII.

GEmmarum ſcrutator aquis, has Indus opimas
Reginæ in Crepidas, quàm malè pendit opes!
Non adeò viles Matuta crearat in uſus:
Calceus ut niteat, nec benè vita perit.
Una ſalus Animorum tanti eſt. Aſtra quot Indis
Hoc pretio, Conjux Regia, nempè, dabis?
Damna nec indè feres: quin lucro, ſiqua, repone.
Amittis Crepidas: Sidera calce teris.

Id. Epigra. LXXXIII.

Margaris orta mari, Cœlo Genitore, paternâ
Stirpe tumes: ſanguis flos Tibi Roris erat.
Proh pudor! Es Crepidæ nunc vectigalis: & ipſas
Lucis opes faſtu fœmina calce premit.
Quàm benè Te Pietas meliores vertit in uſus:
Et ſoleæ in cenſum Doridis Aſtra negat!
Hiſque Polum mercata, Nurus Regina per Orbem
Altior inceſſit, cum poſuit Crepidas.

Humi ſolitus ſomnum capere Xaverius, vel in Paravorum Retibus.

Epigram. LXXXIV.

DUm Paravos Chriſto captas; ubi feſſa reclines
Membra, parant Parauûm Retia ſæpè thorum;
Gens duris aſſueta: Mari cui Cenſus in uno
Linea cui vitæ Vincula victus erant.

Red-

Reddidit illa vicem: Te cepit capta: Tuique
Ut ſecura, ſuos induit in laqueos.

Id. Epigram. LXXXV.

Sabero quid Rete thorum dat? ſcilicet, olli
Piſcator noctis vel propè ſomnus erat.
Namque etiam curas agitat de nocte diurnas.
O ego, ſopitus quæ is, vigil & faciam!

Id. Epigram. LXXXVI.

Excipiunt Te, Dive, thoro cum Retia noctu;
Unde die labor eſt, eſt Tibi & indè quies.
Ipſe Hominum Piſcator eras. Quis crederet? Ipſum
Vel Piſcatorem Retia jam capiunt.

Id. Epigr. LXXXVII.

Dive, die Paravis implebas Retia: ſed Te
Plena dehinc Parauûm Retia nocte tument.
Incidis in caſſes Prædo pius: ipſa tenaces
In laqueos urgens Te tua Præda capit.
Et capis, & caperis. Captum plùs miror: Olympo
Præda minor, Prædo ni capereris, erat.

Apud Paravos mira admodùm patrat per Pueros ſua Catechefios.

Epigram. LXXXVIII.

LUſtrali Pueros vix expiat Unda lavacro;
Cum Te, Saberi, mira jubente, patrant.
Nulla Lues, parvæ vis nec Stygis ulla Catervæ,
Quæ non imbelli ceſſerit imperio.
Eſto aliis feciſſe decus miracula Divis?
Hæc facienda aliis, Dive, dediſſe, tuum eſt.

Id. Epigram. LXXXIX.

Morborum rabies, furor Orci ſævior, iſthæc,
Parva licet, fugiens agmina, ſic cecidit.

Sa-

Sæpè minuta Phalanx ſimul eſt aggreſſa, furentem
Expulit: eſtque unis Laurea parta minis.
Erubuit, vincique dolens ſic, plus furit hoſtis:
Non poterat vinci debiliore manu.

Id. Epigr. XC.

Quàm benè Tartareo illudis, Franciſce, Tyranno?
Nulla Tibi pugnæ eſt alea: victor ovas.
Vincendum Pueris hoſtem das. Scilicet, Orcum
Franciſco totum vincere, ludus erat.

Id. Epigr. XCI.

Tàm parvo magnos inſurgis Milite in hoſtes?
Non Lea, non Lepores Tigris, & Urſa pavent.
Noſco: minùs ne diſpliceat victoria; victos
De Victore ſibi poſſe placere, vetas.
Nam quos vel viciſſe Pudor; quid ſi quis inermi,
Ac propè lactenti Milite victus abit?

Id. Epig. XCII.

Heu! Hominem toto Dæmon quatit impete: Dæmon
Hoſpes & ipſe ſui eſt hoſtis, & hoſpitii.
Spumat Apri vel more; fremit vel more Leonis
Jejuni: atque uno in Dæmone multa fera eſt.
At rident Pueri: imbellis Styx tota phalangis
Luſus, iò, cunctis quæ modo Terror erat.
Fraus olli ſat multa: time, quicumque timentem
Vincere vis: ride Dæmona terribilem.

Id. Epigram. XCIII.

Ludicra Res adeo eſt tantùs de Dite Triumphus;
Una ſit ut Pueri Crux ſatis, una Manus.
Intulit Iſte Deo arma? Polo tot prælia movit?
Et voluit tumido ſidera calce premi?
Jam ne tumet? Puero pudeat Victore: Superbus
Non meliùs poterat detumuiſſe Tumor.

Id.

Id.Epigr. XCIV.

Heus Pueri? mea Cura, Cohors, cui candida Morum,
Simplicitas, lacti concolor. Heus Pueri ?
Quò vocor, ite: vicemque mei ſupplete: Protervum
Tartarei Caput obtundite, & arma Ducis.
Vobis Arma hæc Crux, Sacrarum & carmina vocum:
Certa erit hòc cantu laurus, & hoc baculo.
Nempè, hos excantant Colubros ea carmina : nil hi
Plus, parvo hoc metuunt quàm ſibi fuſte, Canes.

Ad quadraginta Idolorum millia manu ſua Xaverius frangit in India.

Id.Epigr.CXV.

MIlle quater decies, incuſſo dextera malleo
Saberi falſos conterit una Deos.
India nè doleas: nulla hinc jactura: Deumque,
Dextra, Deos quæ tot ſubſtulit, illa dedit.

Id.Epigram.XCVI.

Quàm ſibi fœda forent Sacra, Te, Franciſce, magiſtro;
Indus ubi vidit; vidit, & erubuit.
Turpia dejectis ruere omnia Numina templis
Cœpta hinc, & multo verbere Signa teri.
Tanta Superſtitio ruit, ac vis tanta Deorum !
Hæc potuit (quiſnam crederet?) una Manus.

Ad duodecies centena hominum millia ; ſacro fonte manu ſua luſtrat.

Epigr. XCVII.

MIlle bis ac decies, centenaque millia Cœlo
Aſſeruit, ſacro qui fluit amne, latex;
Saberi, puræ Populos aſpergine Lymphæ,
Dum labem primi Criminis ipſe lavas.

Di-

Dicite, iò Pæan, Sabero dicite: Nulla
Par victo ſpolium cepit ab Orbe Manus.

Id. Ep. XCVIII.

Sabero ſubmitte volens caput, India: Sacri
Expiat iſta vetus fluminis Unda nefas.
Naïs ubi corpus lavit, deterſa Parentum
Noxa: nitens animos præ nive Candor habet.
Hæc vel Gutta facit. Guttæ cum divite fluctu,
Oceane, huic pretium par neque totus eris.

Xaverius voce, at viribus ſæpè defectus; dum ſacro fonte Idololatrarum vim magnam expiat.

Epigr. XCIX.

TE Vox, Luſtrali Gentes tot Rore lavantem,
Deficit: & nimio feſſa labore Manus.
Parce, precor, Dextræ: voci quoque parce, Parum ne
Tot tua Vox Populos, tot tua Dextra juvat?
Ni Tibi Vox; Indos nam quæ doctura? Solo quænam
Æquatura Deos; ni Tibi Dextra valet?

Id. Ep. C.

Nil heu! Vox, nil Dextra valet; defeſſaque fontem
Nec dare luſtrandis, nec potis illa loqui.
Victa Superſtitio victrix ſibi viſa vel inde eſt:
Tuque animas, vires abſtulit illa tuas.
At quàm falſa! foret, meliùs ſi, Dive, valeres,
Victa minùs: cecidit pejùs ab Invalido.
Abſtulerit vires; animas olli eripis. Illam
Nonne mori cogis, dum facis exanimem?

In

In Xaverio
Linguarum Donum planè admirabile.
Epigram. CI.

CEntum Te Gentes, patrio Chriſtum ore docētē,
Sol init undè ſuas, obſtupuere, vias.
Hoſpes eras, alio veniens ex Orbe; ſed Indus
Audiit eloquio Te ſibi ſæpè parem.
Eſt linguæ ſuus uſque lepor, ſua gratia: nulli
Abſunt materni Gutturis uſquè ſales.
Mirabar, formas Proteus ſe ut vertat in omnes:
Vertit in omnes ſe Lingua vel una ſonos.

Id. Epigram. CII.

Unus Homo es; ſed Turba Hominū Te fatur in uno:
Par tot vel linguâ Gentibus, unus Homo es.
Audit & hanc, Indum qui potat, & audit Japon:
Meſſor odorati Ceſpitis, audit Arabs:
Brachmaneſque, & Acen, Paravûmq; ac Turba Badagū
Attonitâ patrios ebibit aure ſonos.
Miraturque ſuas alieno è gutture voces:
Ora tot ex uno diſſona ut ore ſonant.
Hinc Chriſto Gens juncta. Fides, nempè, omnibus una (eſt;
Quæ potuit linguis omnibus una loqui.

Id. Epigram. CIII.

In Te mira oculis, Saberi, viderat: in Te
Mira magis cupidis auribus audit Eôs.
Diſcordes unà tot amica in fœdera linguæ
Conveniunt, poſitâ jam Tibi barbariâ.
Mens potuit cepiſſe tot una volumina Vocum?
Ac tot barbaricos edere lingua ſonos?
Eſt aliis ad mira manus; Tibi lingua potens eſt.
Hi faciunt: ſed miracula Tu loqueris.

Id.

Id. Epigram. CIV.

Diſcordem eloquio Gentem Saberus eodem
Eloquio, quæ ſit ſemita ad Aſtra, docet.
Mira vides! Eadem in multas Vox diditur aures:
Non eadem multâ didita in aure ſonat;
Multiplicatque ſimul ſeque una immutat in omnes,
Pro variâ in varios Gente recuſa ſonos.
Indè Fides, lux indè ſimul nata omnibus una eſt,
Unius & linguæ nata miniſterio.
Sic animo ſat, Dive, tuo fit: ſcilicet, uni
Cui Gens, parta Polo, non erat una ſatis.

Id. Epigram. CV.

Sacrorum in primos linguarum munera Patres
Diſpertita cadunt,* Dius ut arſit Amor.
Scilicet, his delapſa Polo, vulganda Magiſtris,
Debuerat toto Lex ſatis ore loqui.
Quid ni multiplices dederint Tibi ſidera linguas?
Elinguem caperet, neſcia vocis, Eos?
Centenas unus loqueris. Diviſerat: Orbis
In Te nunc linguas colligit almus Amor.

Id. Epig. CVI.

Ut Sors verba tulit, fundis, Franciſce: nec uno
Mos Tibi, dum loqueris, nec ſemel, ore loqui eſt.
Japoniæ Paravam, Paravæ modò jungis Iberam:
Multa tuo ſimul è gutture lingua ſonat:
Diverſos miſcetque modos. Eſt non ſua linguæ
Ars: teſſellatum ſic propè pangit opus.
At non indè operam viſus luſiſſe: loquenti
Omnia quiſquis adeſt, ſat benè, nempè, capit.
Linguarum Babylon ruit ad diſcrimina. Linguas
Quòd Tu permiſces, India tota ſtetit.

Id. Epig. CVII.

Admiranda doces, ſeu diſcere malit Jápon,
Quis Cœlo Stellas? quis maris urget aquas?
Quis

* *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, Act. 2.*

Quis Deus in Terris: Animæ qui ſenſus,in ævum
Sit duraturæ: ſeu Tremor undè ſoli eſt.
Plura addunt, miſcentque; tuæ quò mentis opimas;
Quò Sophiæ arcanas experiantur opes!
Obſtupuere Sophi nova tunc compendia Vocum;
Experti fœtos ſenſibus iſſe ſonos.
Nam quæ quæſierant diviſim plurima;multos
Tu ſimul, ac paucis illicò cuncta doces.
Omnia quæ ſapiat ſimul, Æther miſerit Eſcam:
Omnia quæ doceat Vox ſimul una, tua eſt.

Id. Epigr. CVIII.

Iſacidas pluvio quæ Cœlo pavit,in omnes,
Una licet, verti noverit Eſca dapes:
Fitque ſuus Menſę Protheus: quæ quiſquis amaret
Fercula, vel nullo parta labore, refert.
Hæc Tibi Vox,Franciſce: Sophi quæ diſcere mallet,
Et quæ ſcitari grandia, cuncta ſonat.
Auris ad arbitrium hæc ſe fingit & illa Palati:
Par eſt vis Eſcæ,Vocis & ingenium.
Cuncta pares,uno variant hoc diſpare: Totum
Auribus hæc: totum ſed ſapit illa Gulæ.

Id. Epigram. CIX.

Heroo nunquam Saberi carmine Nomen
Non dicam;qui ſic dicere cuncta queat.
Nam paucis comprenſa, ſimul docet omnia; Pallas,
Et quæ Relligio condere multa ſolet.
Tanta ſed,en,fruſtrà Rerumque,Hominũq;premebat
Turba Hominum: Turbæ par licet unus erat.
Jam cave,dicenti nè qua obſtrepat Aura:Minervæ
Proh quantum, verbo vel pereunte,perit!

Ali-

Aliquot ex quinquaginta, mortuis, quot numerantur à Xaverio ſuſcitati, delibantur. Ac primò Adoleſcens, qui Serpentis morſu perierat, illito ad plagæ locum ſputo.

Epigr. CX.

SOpitum aggreditur Juvenem: morſuq; perempto
Abſtulerat Serpens noxia dente diem.
Ablatam ſed reſtituit, ſimul illita plagæ
Saberi, vitæ viſa Saliva Parens.
Promiſſi quàm Chriſte, memor! Plus, ilicet, hoc eſt:
Ipſe oculos ſputo reddis, at hic animam.

Id. Epigram. CXI.

Inſidias noctu malè cauto callida nectens,
Dente pedem Fera trux & petit, & perimit.
Nulla vel amiſſæ reparaſſet gaudia vitæ
Vis, ni Franciſci dextra tuliſſet opem.
Jamne tumeſcimus? Hem miſeri, Res quantula Vita (eſt;
Tantillo quibus à dente perempta, perit.

Id. Epigram. CXII.

Anguineo cadit à morſu, ſputoque reſurgit:
Ore perit Juveni Vita, ſed ore redit.
Oris & os nocui penſavit damna. Veneno
Excluſam, revocat miſſa Saliva Animam.
Ut perimant, vis ore potens eſt, credite, multis:
Ore poteſt qui vitam indere, ſolus hic eſt.

Id. Epigr. CXIII.

Ictus ab Angue peris; dum Te ſopor obruit, & Nox:
Nec Tibi noſſe datum proh miſer! undè peris.
Sabero debes lucem, quam ſurripit Hydrus:
Dens rapit: infuſo rore Saliva dedit.
Hæccine vita hominis, tanti quam pendimus? Una
Abſtulit hanc ſputi Guttula, & una dedit.

Pridie ſepultum, erui iuſſum, petentibus adcomprobandamChriſti fidem Idololatris, excitat: eoſque Chriſto lucratur.
Epigram.CXIV.

PRoh Gēs cęca!& in ære vides,& Numen in auro:
Atque vaporato thure colis lapides.
Terrarum,Cœlique Potens,quemque Orbis adorat;
Non eſt in plures ſectilis ille Deos.
Credere adhuc renuis?Num ſaxea Turba Deorum,
Quam colis; hanc auris dat Tibi duritiam?
Crede oculis,vel quę aure negas.Hominē extrahe putrem,
Altera quem foſſâ lux tumulavit humo.
Dixit:& extemplò Saberi voce revixit.
Vivere quî poteras indè Superſtitio?

Id. Epigr. CXV.

Dixerat illa diu; ſatis at non dixerat ulli
Franciſci in falſos lingua operoſa Deos.
Quid faciet, Chriſtum Turbæ ſuaſura prophanæ?
Ingenio lapides,quos colit, illa refert.
Vive,ait, exanimi: à tumulo ſtatim & ille revixit:
Crede,ait: exanimi credere, Turba,negas?

Id. Epigram. CXVI.

Mortuus effoſſi ſimul atrâ è nocte Sepulchri,
Saberi ad lucis gaudia voce redit:
Emollita ſuam Gens exuit impia cordis
Duritiam; inque ſuos irruit indè Deos:
Seque volens Chriſto adjunxit. Vis addere plures,
Saberi? haud vivis fare, ſed exanimis.

Id. Epigr. CXVII.

Heu! Duris fruſtrà loqueris: cui, nempè, loquenti,
Præ ſaxis aures diriguere graves.

Er-

Ergo age, verte aliò vocem, Franciſce. Sepulchri
Hanc lapis, hanc & Mors audiet, aure carens.
Vitales ubi juſſa Virum Mors reddet in auras;
Quæ nunc dura, ſtatim ſe Tibi ſubdet Eös.
Et Fidei Gens tota jugo ſubiecta, Parentum
Ridebit ritus, comminuetque Deos.
Quot malè, quàm miſero cecidiſſent funere; juſſu,
Dive, tuo ni unus ſurgeret è tumulo?

Puellam excitat, triduo ante ſepultam.

Epigr. CXVIII.

Extulerat tres ante dies: Gnatamque ſepultam,
Tota madens triſti flebat ab imbre Parens.
Sed Tibi, Dive, aperit vix obvia, cauſa doloris
Quæ ſit; cum ſubitò juſſa ſtetit lacryma.
Delicias, nempè, illa ſuas jam vivere: Gnatam
Maternoſque mones jam ſibi velle ſinus.
Urna ubi vix patuit, cum Matris in oſcula funus
Exilit: & notum ſponte petit gremium.
Vnius imperio quantùm licet! aut ubi Mors eſt
Si vivam, vitæ fœta vel Urna parit?

Id. Epigram. CXIX.

Urgebat charum tumulo lux tertia Buſtum:
Treſque iërant Matri jam ſine luce dies,
Aſt ubi Franciſci rursùm audiit ore Puellam
Vivere; lætitiis proh quibus exiliit!
Præpete tunc tumulum greſſu petit: obvia Gnatæ
Excepitque Parens oſcula, & ipſa dedit.
Sic Mors, juſſa aliis quæ vix ſua funera reddit;
Saberi Juſſum prævenit obſequio.

Id. Epigr. CXX.

Obſequitur, nec juſſa, tuis Mors ſedula dictis:
Obſtrictumque fide ſolvit amica Caput.
Audiit abſentem, ſurdis licet auribus: uni
Mors oculis Tibi vel caſſa, oculata videt.

Non Amor:expertæ Timor eſt, nè funera cogas
Reddere cuncta; unum reddere ni properet.

Duos ad vitam revocat per ſuæ Pueros Catecheſeos.
Epigr.CXXI,

STravit ubi Mors una duos, Franciſce,vocaris:
Nam quæ ſpes raptæ, Te ſine, lucis erat?
Sed te formandis quòd moribus acrior urget
Cura; vices ſupplet, Teqùe jubente,Puer.
Evolat ille, tuo quantùm auſus nomine! Mox bis
Reddita poſt vitæ munera, Dive,redit.
Mortem aliis viciſſe datum; Tibi fortè ſed uni:
Cui datur hanc vel contemnere, plus licuit

Præcipitem è mari Puerum Patri ſex poſt dies vivum, valentemque è mari reddidit: atque ita à Mahomete ad Chriſtum traduxit.

Epigr. CXXII.

OCciduus ſextùm Sol iam ſe merſerat;ex quo
Eöi Puerum glutiit unda Maris.
Hunc tamen à lacrymis quò tergeret ora; vorantes
Saberus Patri reddere juſſit aquas.
Quemque vorax Prothei vaſtâ Pecus hauſerat alvo,
Integer obſcœno rursùs ab ore redit.
Proh vim!Dive,hominē haud hoc tātū eſt vivere:rurſùs,
Abſumpto per Te corpore, fictus homo eſt.

Id.Epigr.CXXIII.

Præcipitem è Pinu Puerum venti expulerat vis
In mare: Memnoniis ac tumularat aquis.
Incolumem ſed juſſa Thetis citò reddit. Avaro
I nunc, i poſthac Nomen & inde Mari?

Sa-

Saberus Puerum, Res mira! ut vivat, aquarum,
Queis merſi morimur, condidit in tumulo.

Id. Epigr. CXXIV.

Mergeris: immenſoque gravaris gurgite: ſoſpes
Nota, Puer, Patris ad brachia & inde redis.
Sabero debes, quod hianti Naïas undâ,
Et quo Te tumulat gurgite, nulla premit.
Extincto ſic parva gravis cui Terra fuiſſet;
Tota eſt Oceani vel Maris Unda levis.

Id. Epigram. CXXV.

Fœda Mahometis dediſcit Dogmata, juſſu
Franciſci, Gnato mox redeunte, Parens.
Seque prior lacrymis, ſacrâ dehinc Najade lavit.
Proh quantas Naïs terſerit hæc maculas!
Quæ ſit, vel quanti Unda hæc, hinc addiſcite: Patri
Ut flueret, Gnato conſtitit Oceanus.

Id. Epigram. CXXVI.

Luſtrari ut dio Genitor velit Amne; revixit
Obrutus inſano Filius ante Salo.
Saberi, Te dante, duplex ſors contigit uni:
Nec Gnatum amiſit: vixit & inde Pater.

Parentis Proſopopœa.

Id. Epigram. CXXVII.

Ut vidi, ut perii; pronâ, Gnate, abiete ubi Te,
Præcipitem cœco condidit unda ſinu.
Heu! quæ me tenuit vis? Cur nec fata ſequentem
Me tua, tecum unà ſorbuit unda mari?
Nempè, aliis me ſervat aquis ſors; flebilis uſque
Noſtra eat ut lacrymis naufraga vita ſuis.
Hauſit ubi noſtrum Thetis in Te ſæva cruorem;
Effuſam in fletus hauriet hanc animam.
Fallimur. Ulla Mei quæ Pars moritura ſuperſit?
Mors eadem Gnato, Tethys, & Urna Patri es.

Id. Epig. CXXVIII.

Fundebam Gnato lacrymas: Mihi fundere rivo
Debueram ex oculis uberiore Parens.
Namque Mahometis Me merſerat, uſque Mephitim
Exhalans putri colluvione, Palus.
Aſt ubi me tinxit; Chriſti eluit Unda. Parentis,
Et Gnati hæc fuerat morte paranda ſalus.

Id. Epigrām. CXXIX.

Quòd merſum Oceano Puerum, ſeu vivere rursùm,
Dive, jubes; prohibes ſeu magis ante mori;
Lunati ejurat Populi Sacra impia; certus
Chriſtiadûm Genitor jam pia Caſtra ſequi.
Sic nam ſorduerat cęnoſi Vernula Vatis;
Ut ſatis Oceani nil nisi Lympha lavet.
Quin tota Oceani ſatis haud eſt: fluxit aperto
Numinis, has ſordes quæ lavat, Unda ſinu.

Precatoriam Deiparæ Corollam, in futuri Naufragii Amuletum, Mercatori, navim conſcendenti, tradit.

Epigram. CXXX.

AD ſcopulos alliſa, vado Ratis hæſerat, omnem
Acceptura hyemem: merſaque Turba perit.
Tu quoque navifragâ periiſſes obrutus undâ;
Ni Te Saberi præſcia Mens raperet.
Namque precum tradens abeunti fortè Corollam;
Hanc cape: ni facias, Te Mare merget, ait.
Indè mari Soſpes: Tornatos, ſcilicet, Orbes
Dum tenet; incurrit Naufragus in Tabulam.

Id. Epigr. CXXXI.

Quòd, ſibi quæ dono dederat Saberus, haberet
Virginis ad ſuetas conſita ſerta preces;

Nau-

Naufragus è cunctis, fractâ Vectoribus Alno,
Mercator ſævis enatat unus aquis.
Nè rupto ſatis hæc filo dilapſa perirent,
Caverat: inſano nam foret Eſca mari.
Quis velit humanæ poſthac plus fidere vitæ?
Quàm tenui pendet ſtamine tota ſalus!

Id.Epigr.CXXXII.

Quæ globulis conſerta tuis, Franciſce, parato
Credere ſe vaſto, das pia ſerta, ſalo:
Quàm benè functa ſuo ſunt munere; ſæva voraret
Cum malè quaſſatam Tethyos Ira ratem!
Nil par effrœni fuerat; non Anchora morſu
Multiplici, aut tortâ cannabe vincla, mari.
Sed quod non potuit Chalybum, quod nulla Rudẽtũ
Vis; tua tam fragili ſtamine ſerta ligant.

Id. Epigram. CXXXIII.

Illa eadem Comites uno omnes hauſit hiatu;
Uni quæ parcit, Marmoris Ingluvies.
Quin ipſos molli ſenos ſuper æquore Soles,
Dulcè ſoporatum, ſolverat undè, tulit.
Fit thorus Unda: ſinu dat Nereus ipſe Carinam:
Quæ vorat, Unda, hominis bajula & ipſa vehit.

Id.Epigram. CXXXIV.

Mira vides? Fluctus compeſcens juſſa ſuperbos;
Ipſa ſuum Tethys ſubdita portat onus.
Admovitque Virum Terris. Jam navigat æquor:
Ac ſine puppe unà, & Remige littus habet.
Nec ſatis hæc: nam rapta ſibi Mens, neſcia Molis
Ipſa ſuæ, ignorat, quas cita currit, aquas.
Saberi bis ſenſit opem Mercator amicam
Naufragus, irato jam data præda mari:
Naufragii quò nulla ferat diſcrimina, vixit:
Sopitur ſimul & corpore, nè timeat.

Id. Epig. CXXVIII.

Fundebam Gnato lacrymas: Mihi fundere rivo
Debueram ex oculis uberiore Parens.
Namque Mahometis Me merſerat, uſque Mephitim
Exhalans putri colluvione, Palus.
Aſt ubi me tinxit; Chriſti eluit Unda. Parentis,
Et Gnati hæc fuerat morte paranda ſalus.

Id. Epigrãm. CXXIX.

Quòd merſum Oceano Puerum, ſeu vivere rursùm,
Dive, jubes; prohibes ſeu magis ante mori;
Lunati ejurat Populi Sacra impia; certus
Chriſtiadûm Genitor jam pia Caſtra ſequi.
Sic nam ſorduerat cęnoſi Vernula Vatis;
Ut ſatis Oceani nil niſi Lympha lavet.
Quin tota Oceani ſatis haud eſt: fluxit aperto
Numinis, has ſordes quæ lavat, Unda ſinu.

Precatoriam Deiparæ Corollam, in futuri Naufragii Amuletum, Mercatori, navim conſcendenti, tradit.

Epigram. CXXX.

AD ſcopulos alliſa, vado Ratis hæſerat, omnem
Acceptura hyemem: merſaque Turba perit.
Tu ſquoque naviſragâ periiſſes obrutus undâ;
Ni Te Saberi præſcia Mens raperet.
Namque precum tradens abeunti fortè Corollam;
Hanc cape: ni facias, Te Mare merget, ait.
Indè mari Soſpes: Tornatos, ſcilicet, Orbes
Dum tenet; incurrit Naufragus in Tabulam.

Id. Epigr. CXXXI.

Quòd, ſibi quæ dono dederat Saberus, haberet
Virginis ad ſuetas conſita ſerta preces;

Nau-

Naufragus è cunctis, fractâ Vectoribus Alno,
Mercator ſævis enatat unus aquis.
Nè rupto ſatis hæc filo dilapſa perirent,
Caverat: inſano nam foret Eſca mari.
Quis velit humanæ poſthac plus fidere vitæ?
Quàm tenui pendet ſtamine tota ſalus!

Id.Epigr.CXXXII.

Quæ globulis conſerta tuis, Franciſce, parato
Credere ſe vaſto, das pia ſerta, ſalo:
Quàm benè functa ſuo ſunt munere; ſæva voraret
Cum malè quaſſatam Tethyos Ira ratem!
Nil par effrœni fuerat; non Anchora morſu
Multiplici, aut tortâ cannabe vincla, mari.
Sed quod non potuit Chalybum, quod nulla Rudētũ
Vis; tua tam fragili ſtamine ſerta ligant.

Id. Epigram. CXXXIII.

Illa eadem Comites uno omnes hauſit hiatu;
Uni quæ parcit, Marmoris Ingluvies.
Quin ipſos molli ſenos ſuper æquore Soles,
Dulcè ſoporatum, ſolverat undè, tulit.
Fit thorus Unda: ſinu dat Nereus ipſe Carinam:
Quæ vorat, Unda, hominis bajula & ipſa vehit.

Id.Epigram. CXXXIV.

Mira vides? Fluctus compeſcens juſſa ſuperbos;
Ipſa ſuum Tethys ſubdita portat onus.
Admovitque Virum Terris. Jam navigat æquor:
Ac ſine puppe unà, & Remige littus habet.
Nec ſatis hæc: nam rapta ſibi Mens, neſcia Molis
Ipſa ſuæ, ignorat, quas cita currit, aquas.
Saberi bis ſenſit opem Mercator amicam
Naufragus, irato jam data præda mari:
Naufragii quò nulla ferat diſcrimina, vixit:
Sopitur ſimul & corpore, nè timeat.

Nummos, ex auro, argentoque recens cuſos, vacuâ extrahit ex crumena ad Pauperis inopiam ſublevandam.

Epigram. CXXXV.

ANgeris,exiguæ quondam ſtipis æra rogatus;
Quòd minus exiguo ſit Tibi,nempè,Nihil.
Pauperies cui Virgo placet; Dos,ſcilicet,omnis
Huic nullus,nummis ſacculus aut vacuus.
At mox ſignato flaveſcit plena metallo;
Nil ubi,tam multo eſt & gravis ære Manus.
Ex Nihilo Nihil eſt, veterum inter ſcita Sophorum;
Saberi, quî tot conficis ex Nihilo?

Id.Epigr. CXXXVI.

Multa Tibi eſt facti vis aurea, Dive, metalli:
Multa etiam argenti vis,& ab igne recens.
Extrahit hanc immiſſa Manus:cui Zonula,inanis
Quæ fuerat, ſubitas ſpontè miniſtrat opes.
Ars ubi, Materies, ubi Malleus, aut faber Ignis?
Cuncta Tibi vacuus Sacculus unus erat.
Sic benè,quæ cunctis ſudata pecunia ſordet;
Uni Sabero naſcitur, & rutilat.

Id.Epigr.CXXXVII.

Aureolos Inopi plenâ das, Dive, roganti
Dextrâ; aliis dives,qui Tibi pauper eras.
Aurea at undè ſeges loculo flaveſcit inani?
Eſt locuples loculi num Tibi Gaza Nihil?
O ſtultas Hominum Mentes!Stultè anxia vota!
Diſcite, quantum habeat, qui nihil Orbis habet.

Id.Epigram.CXXXVIII.

Omnia Te jactas tecum tua habere. Putabas
Nilne tuum fore,Te præter,in Orbe,Bias?

Sed

Sed tua quàm Tibi nil proſunt hæc omnia! Faſtus
Ventoſæ hoc Nihilum, ſcilicet, eſt Sophiæ.
Non ſic quæ Rerum Chriſto ſacratur Egeſtas:
Nam quæ pro Chriſto ſponte reliquit, habet.
Sabero Nihil en ipſum flaveſcit in aurum.
Omne tulit punctum; cum Nihil ille tulit.

Id: Epigr.CXXXIX.

Franciſci dum quærit opem; quem, cuncta vorantis,
Evomuit nudum Doridis Ingluvies;
Educens vacuo plenam, Res mira! Locello:
Signatoque gravem porrigit ære manum.
Sat benè ſic Inopi conſultum. Qui ſibi Pauper,
Hic alios meritò, quo locupletet, habet.

Maris aquam, quò quingentis Vectoribus, præ ſiti mox morituris, conſulat; ſigno Crucis vertit in dulcem.

Epigram.CXL.

AREbant ſicco Vectorum labra palato:
Cogebatque ſiti Doris amara mori.
Nulla vel à pluvio ad potum Jove ſtillula: & ullam
Quærere vel languens aura, vel unda negat.
Ipſa furit Cœli clementia: ſupplicat ipſi
Navifrago, moriens Nautica Turba, mari.
Heu miſeros! Duro quæ non via pervia fato eſt;
Si mediâ ad lethum nos ſitis urget aquâ?

Id.Epigram.CXLI.

Vectorum voces.

Quæ fax? arcano Rogus, heu! quis torret ab igni
Viſcera? Penè abiit Vita vel in Cineres.
Nilne movet noſtri Pietas, Franciſce? Peruſtos
Ad certam en adigunt pocula nulla necem.

Atque mori ſubitâ ò utinam nos morte liceret !
Morte ipſâ ſævit plus mora, dum morimur.
Mitte queri jam, quiſquis aquis malè merſus, ôbibis:
Eſt quo præfocet durius Unda, ſiti.

Id.Epigram.CXLII.

Ah cave deſperes, vel ſors premat improba, Vector:
Franciſco, ſoſpes ſemper eris, Comite.
Dulcia nonne vides, ut ſeſe in pocula vertens ;
Ipſa ſuam poſuit Doris amaritiem ?
Sic vitæ, factumque ſiti ſatis. Ipſa palato.
Tunc Doris ſapuit, ſal ubi nil habuit.

Id.Epigram.CXLIII.

Hæret aquis immota Abies: pejora procellis,
Otia torpentis Nauta doletque maris.
Urgebatque ſitis miſeros ad funera. Sors quæ
Durior? In medio queis perit unda ſalo.
At Cruce ſacrat aquas Saberi ubi dextra; ſaporis
Illicò Mella refert, non memor unda ſui.
Lympha novos latices, & non ſua pocula præbet.
Sic eſt: Crux omnem pellit amaritiem.

Elephantiaſi fœdè laborantem, epotâ, quâ prius eum laverat, aquâ, repentè ſanat.

Epigr.CXLIV.

LUrida ſquamoſis horrebat Lepra lacertis :
Eſtque Inopi ſordens ulcere tota Cutis;
Hunc puro, Saberus ubi videt, abluit imbri :
Et bibit inceſtum, ſorde ſcatente, lacum.
Jamne rogas ægro ut fuerit? Quid fecerit hauſtu
Loturæ Medicus, non Tibi noſſe ſatis?

Id.Epigram.CXLV.

Tanta Elephantiaci Pietas Te Pauperis! At cur,
Saberi, Pietas non capit ulla tui?

Nam-

Namque illum vivâ perſundens Najade;potas,
Laveris ut,mixtam ſordibus unus âquam.
Sicque Lues deterſa.Hauſtus(Res mira) medentes,
Tunc Æger valuit, cum biberit Medicus.

Id.Epigr.CXLVI.

Urebat miſerum mordens Elephantia : nec jam
Ulla erat annoſo ſat medicina malo.
Sed quam non ſucci, medicæque Machaonis artes;
Saberus medicam vel tulit unus opem;
Quâ lavit,nam potus aquâ, peſtem expulit:Ægro
Ut benè ſit,fœdam perbibit ille luem.

Id.Epigram. CXLVII.

Septeno quondam deterſerat Unda lavacro
Jordanis: turpem diſpuleratque Luem.
Diſpulit Unda Luem,ſemel hæc ut laverit: Unam
Saberi ſitiens potat & hanc Pietas.
Heli ſæe, Tibi ſitis hæc ſi fortè fuiſſet;
Septenis Naaman non eguiſſet aquis.

Id.Epigram.CXLVIII.

Ut vidit, lavit: Saberum quò abſtulit ardor?
Non alio voluit fonte levare ſitim.
Exhauritque putri loturam tabe cruentam;
Ut poſitâ niteat ſorde repente Cutis.
Miraris ſubitam, nulloque medente ſalutem!
Nil eſt hæc,tantâ præ Pietate, ſalus.

Militem, quòd Aleæ ludo decoxerat, deſperantem, certumque mori; Re ludo eodem recuperata, ad bonam frugem revocat.

Epigram.CXLIX.

NUdarat Juvenem malè præceps Alea: Præceps
Indè mari ſeſe deſtinat, indè mori.

Vi-

Vivere nam quid amet? Nil eſt cui, nempè, ſuperſtes
Ad victum;non hoc vivere, ſæpè mori eſt.
Ergò mori viſum ſemel:inſanoque ſtat alto
Perdere, ſe quoque poſt omnia, ſpontè mari.
Dive, tuam tunc ſenſit opem: repetitaque rursùm,
Auſpice Te, amiſſas Alea reddit opes.
Fitque eadem vitæ,quæ lethi cauſa. Perinde eſt:
Nempè,joco,heu miſeri! vivimus,& morimur.

Id. Epigr. CL.

Luſerat, & damno nimios exſolverat auſus:
Alea,ludentis morte luenda, cadit.
Infauſtos aſt avertit fauſtiſſima jactus,
Saberi tractans Dextera faſciculos.
Indè Manus periit luſori nulla: recenti
Sic lucro triſtem depulit ante vicem.
Fingere Divinum eſt, aliiſque refingere ſortem.
Huic ſors Saberi ficta,reficta manu eſt.

Id.Epigram. CLI.

Qui pictis ludens foliis decoxerat; ultrò
Nè pereat, ſævas obrutus inter aquas;
Ære novo ludum repetit:revocatque, jubente
Sabero,cupidas Alea blanda manus.
Plus hæc amiſſo reddit.Quærebat is aurum:
Quam non quærebat, reddit & hæc Animam.

Id.Epigram.CLII.

Cerne, ſiniſtra dedit Juvenem penè Alea letho:
Alea ſervavit dextera & incolumem.
Ludicra Res adeò Mors eſt, ac Vita; jocoſum
Utraque ut ambiguæ ſit propè ſortis opus?
His certi nil Rebus ineſt: nempè Alea totum eſt.
Vivimus ancipites: ancipites morimur.

Id. EpigrCLIII.

Amiſſo Luſor jam deſperaverat auro:
Inque Deum inceſto,proh ſcelus! ore furit.

Non

Non erat una ſatis miſero jactura? Quid ultrò
Poſt aurum, ardet adhuc ſe ſpoliare Polo?
Sed duplicem, Francisce, vicem miſeratus; eodem
Averti ludo rursùs utramque jubes.
Æthra, Deumque, & opes, Animamq; amiſerat: iſthæc
Omnia qui ludo redderet, unus erat.

Homines, multiplici Pellicatu infames, admirabili morum, alloquiique ſuavitate, ad Caſtimoniam traducit. Hos inter Veloſus: è cujus ſinu Pellices ſeptem paulatim avulſæ.

Epig. CLIV.

VRebant ſeptem Veloſi pectus Erynnes:
Nulla ſed his vultu turpis Erynnis erat.
Plurima ſed Venus, & multo ſimul illita fuco
Forma, lues miſeræ forma Pudicitiæ.
Oh quid agas, Francisce? Pio tegis omnia vultu:
Haſque domo comi dexteritate fugas.
Alloquio, menſâque frequens, alia omnia tractas:
Una hæc curando ſat medicina malo eſt.
Obſtupui, fateor. Quis nam uni crederet Agno,
Septenas pelli ſic potuiſſe Lupas?

Id. Epigr. CLV.

Multiplici aggrederis famoſos Pellice: Pellex
Sæpè ſuâ Tibi ſic plurima pulſa domo eſt.
Nulla movet vis bella Viris, non arma; Pudoris,
Quæ ſolet in duros ſtringere Dextra Procos.
Colludis, Conviva ſedes, formæque pudicus
Laudator, blando comis & alloquio.
Ut quæ blanditiis illuſerat ante Pudori;
Illudat Veneri blanditiiſque Pudor.
Sæpè ſolet blandis perimi Pudor artibus: Idem
Indè Pudor perimit, Te Duce, & undè perit.

Id. Epigr. CLVI.

Implicu it quos blanda Venus,Saberus eoſdem
Explicuit Veneris blandior è laqueis.
Transfuga namque ſui, totum ſeſe occulit:ipſis
Sæpè jocos menſis,ſæpè adhibetque ſales.
Artibus in turpes ſic his pugnavit amores:
Parta pio pretium ſic quoque Palma dolo eſt.
Hunc timuit durum : à duro Cythereïa cavit :
Sed quos non timuit, plus nocuere joci.

Id.Epigr. CLVII.

Candidus eſt Pudor : idem & aperti pectoris hoſpes:
Fraus placuit niveæ nulla Pudicitiæ.
Blandiris, ſimulas,mille abdis & artibus artes,
Mille dolos: pugnat fraudibus & Pietas:
Expugnatque Cyprim. Sic Cypria, Dive,ſequutos
Caſtra, piè multâ ſubdolus arte, capis.
Nempè ſat haud viciſſe,ſtat illuſiſſe ; Cytheræ
Ut doleat Dea ſic victa, ut eam pudeat.

Inter baptizandum ad Giganteam proceritatem aliquando viſus excreſcere.

Ep. CLVIII.

MOle refers, longèque alio cur ore Gigantem,
Dive,ubi luſtrali crimina mergis aquâ?
Celaras Te,nempe: Dei eſt jam prodere. Semper
Hoc fueras animo, quod ſemel ore refers.

Id. Epigram. CLIX.

Plura,ais,oh ſi plura mihi ſubeunda! Malorum
Eventura docet dum Tibi monſtra ſopor.
At ſatis,ingeminas,ſatis eſt:illapſaque Cœlo
Nec poteras uno gaudia ferre ſinu.
Ergò Gigas quòd ſis,mirari parce: ferendo
Quò ſis tot mala, tot gaudia, tantus eras.

Id. Epigram. CLX.

Fuderat inſanos, Tellus malè fœta, Gigantes;
Impia quæ Cœlo prælia Turba tulit.
Erubuit: Gnatoſque Parens exoſa; Parentem
Infandæ dici Prolis & indoluit.
Hæc olim: Lætare novâ jam Prole: Gigantem
In Styga, qui Cœlo militet, Orbis habet.

Id. Epigr. CLXI.

Dejectos Diis qui narras ex Orbe Gigantas;
Cernis, ut iſte Deos deiicit Orbe Gigas?
Pugnaces vix igne illi vicere triſulco:
Saberi pugnax dextera vicit aquâ.
Tãtùm Lympha valet! Torquens, quis crederet? Ignis
Quos cremat, Infernos, hos fugat Unda Deos.

Vlaten Vrbem, quæ ſiti ad deditionem adigebatur, exoratâ de Cælo pluviâ, periculo ſolvit, atque obſidione.

Epig. CLXII.

VLaten vallo jam circumſederat Hoſtis:
Inque jugum averſis inſtat, & urget aquis.
Ulla nec ad potum guttæ ſpes. Æſtuat Aër:
Et ſicco fruſtrà ſupplicat herba Jovi.
Sed Tu, Dive, cies alieno Sidere nimbos:
Sicque ſiti, & miſeros obſidione levas.
Quod ſperet, nil Hoſtis habet: queis pota vireſcit,
Aruit infuſis huic citò Laurus aquis.

Id. Epigram. CLXIII.

Cur non Ulaten ferro ſibi ſubdere victor
Hoſtis amat? Longâ ſed premit uſque ſiti?
Blandior an Martis ſpecies? ſine vulnere victrix
Palma, cruentato nil magis enſe placet?

Fal-

Falleris. Obſeſſæ Mars ſæviùs imminet Urbi:
Sic petit is ſicco gutture nam jugulum.

Id. Epigram. CLXIV.

Fruſtrà eſt: namque ſiti morituris, prima precantis
FRANCISCI è Cœlo vota dediſtis aquas.
Scilicet, obſtructis Gens effera fontibus, Urbem
Sepſerat ad ſævæ funera lenta ſitis.
Abſtinuit ferro, ſic parcere viſa Cruori:
Sed letho haud poterant aſperiore mori.

Id. Epigram. CLXV.

Clauſerat Ulatem ferro: vitamque paciſcens,
Non niſi ſervili compede, Miles ovat.
Quid faciat? Mors indè ſiti; Pudor imminet atq; hinc,
Nè terat ingenuas fœda Catena Manus.
At lethique, jugique omnem Saberus, ab alto
Mox exorato, depulit imbre metum.
Sic, quæ nec toto libertas penditur auro;
Vos pretio viles, nempè, dediſtis aquæ.

Eo miraculo Vlates Rex Chriſto adjungitur.

Epigr. CLXVI.

HOſte, ſimulque ſiti, primo quoq; crimine ſolvit
Dive, Idololatras, qui pluit Axe, latex.
Quoſque levas, hos imbre lavas: unoque fluento
Emaculas Animas: & ſimul ora beas.
Indè ſuam ſibi quiſque ſitim ſatis expulit: unas
Ipſe Animas; arens Urbs ſitiebat aquas.
Obſidio, ſitis, omne nefas perit: Ilicet, una huic
Non niſi par Operi Cœlica Lympha foret.

To-

Tolum Vrbem, Chriſto rebellantem, divinitùs immiſſis Igne, Cinere, Lapidibus, ac Terræmotu penè everſam, iterùm Chriſto ſubiicit.

Ep.CLXVII.

SVbderis en iterum Turbæ malè ſana Deorum,
Unius excuſſo Numinis imperio.
Hinc toto concuſſa ſolo es. Par, nempè, ferendo
Non eſt: Te Tellus excutit ipſa ream.
Stare an dedidicit de Te, quæ mole ſuâ ſtat?
Fit, pereat levitas quò tua, & ipſa levis:
Quòque voret, patet ore* Tuis aſſueta vorandis,
Sat benè, quæ dederas damna, vorata feres.

Id. Epigr. CLXVIII.

Te dum Terra quatit; totam quoque ſaxeus imber
Contudit: & veniens obruit indè Cinis.
Hoc meruit deſerta Fides: hoc priſca Parentum
Culta Tibi rurſùm cæca ſuperſtitio.
O ſcelus! Hoc iterùm nè cerneret, ilicet, Orbis;
Quod Tibi ſupplicium, fit ſimul & Tumulus.

Id. Epigram. CLXIX.

Et Lapide, & Cinere infidos malè perculit, Ultor
Mons: is perfidiæ Veſujus alter erat.
Dicite Saberi mites, vel vindicet, iras:
Parcere, nempè, bonus, plus ubi plectit, amat.
Supplicii, veniæque Reis datur optio. Culpæ
Ad veniam Cinis eſt, ſuppliciumque Lapis.

Id. Epigr. CLXX.

Barbara Gens, JESU dederas quæ nomen; JESU
Es vix juratæ Transfuga Militiæ;
Cum Te vicini jaculatus ab igne Veſevi,
Pulvereo præceps perculit imbre Cinis.

D Sol-

* *Viget ibi vorandorum hominum mos.*

Digitized by Google

Solvimur in Cineres à funere, poſtque ſepulchrum.
Hoc ſumus. Heu, Pulvis quid levis indè tumes?
Teque præit, nos quæ ſequitur, ſors dura. Dat Urna
Nam cunctis: Vrnam dat Tibi, Tole, Cinis.

Id. Epigram. CLXXI.

Eierat, heu! Chriſtum, Chriſti lita Najade Tolus;
Deſertos repetens, thure colitque Deos.
Intremit indè ſolum: Cinerum, Lapidumque rotato
Turbine, ſacrilegis nulla ſtat indè domus.
Inque Reos Cœlum, Tellus, ſeque armat & Ignis:
Una fuit Toli noxia, pœna triplex.
Unus at è Cœlo qui plecteret, abfuit Imber.
Hoc quæ dilueret, nulla ſat Unda, nefas.

Eodem tempore in Scaphâ, atque in Onerariâ præſens, ambas à fœdiſſima Maris procella reddit incolumes.

Epigr. CLXXII.

VNus es, & geminâ vidit Te Doris in Alno,
Ire per æquoreas Oceanitis aquas.
Et ſimul unus es, & geminus: duplicaſque Carinæ,
Sorbendæ haud uni mox, ſimul unus opem.
Tyndaridas poſthac nil curet Nauta: gemellum,
Saberi, melius per mare ſidus eris.

Id. Epigr. CLXXIII.

Plaudite Sabero Nereides. Ille Profundi
Arbiter, Oceano dat quoque jura mari.
Indocileſque pati Typhonas frœna, Ratemque
Ipſe indignantes ferre coëgit aquas.
Proh quantum refert, quis qui cum navigat? Unà
Si Pietas, medio Portus & in pelago eſt.
Magna quibus nam ludus erant vel corpora; Typhi
Sub tanto, iratas Cymbula luſit aquas.

Im-

Immiſſo Crucifixi Ieſu ſigno undis, ventiſque debacchantem Oceanum illicò compeſcit.
Epigram. CLXXIV.

QVæ Te, Dive, vehit, toto jactata Profundo,
Flebilis inſanæ luſus it Alnus aquæ.
Heu miſeram! Montes Nereus jaculatur aquarum!
Quantus erat fluctu, cui pila Navis erat!
Aſt ubi ſuffixum demittis Numen; Olympo
Et ſua lux, Pelago pax quoque prima redit.
Nempè, Deum clavis ut figi ſtipite vidit;
Conſtitit: & figi vel mare non puduit.

Id. Epigram. CLXXV.

Extinctum trunco JESUM Saberus in altum
Demittens, tumidum contudit Oceanum.
Nam vix navifragos diâ premit Icone fluctus;
Cum procul indè tumor ſpumeus omnis abit.
Noſco: pavet mutū os vel Numinis Unda:* Loquentis
Ante graves quàm ſint, ſenſerat illa minas.

Xaverii queſtus, Crucifixo Ieſu vi tempeſtatis abrepto.
Epigram. CLXXVI.

VIx ubi confixus trabe Tethyn tangis, Jeſu;
Pulſa Polo cum ſunt nubila, flabra ſalo.
Te mihi at unda rapax abreptum exorbuit: unda
Heu, quàm deliciis inſidioſa meis!
Naufragio hinc ſoſpes: ſoſpes? Tunc, credite, jactu hoc
Nudus, & in portu Naufragus, heu, perii.

Id. Epigr. CLXXVII.

Dum raperis; rapto nil Te mihi, Chriſte, ſuperſtes.
Omnia perdidimus; nam omnia & unus eras.

* *Comminatus eſt vento, & dixit Mari: Tace &c. Mar. 4.*

Indè rapax ſtetit Unda : quies Maris indè. Quid ultra
Doris avara, hæc poſt omnia, jam cupiat?
Glutit & illa uno totas propè vortice Claſſes:
Explet at hæc tantam Præda vel una famem.

Id.Epigr. CLXXVIII.

Dum comes ipſe viæ mecum is, mi Chriſte, furentem
Nil timui, fateor, Nerèa: nunc timeo.
Dum venti poſuere: minax nec ſibilat æquor:
Sed leni ſummam flamine criſpat aquam.
Ah quid non timeam? Cruce raptis, Teque, Carinæ;
Non eſt qui Clavus, qui Mihi Tiphys erat.

Id.Epigram.CLXXIX.

Compeſcis FRANCISCE, mari moriture, vorantem
Affixi ſigno Numinis Oceanum.
Pendula nam filo in fluctus delapſa marinos,
Merſa Icon. Audax Oceani ò facinus!
Tum Tibi, nempè, ſua de ſorte beatior ultrò
Parcit: in optatos & vehit Unda ſinus.
Quantus eras, hinc diſce: Tui vice mergitur en quis?
Nè Tu, ſe mergi ſub mare Numen amat.

Id.Epigram.CLXXX.

Naviſrago quateret cum Nereus ariete Pinum:
Addere & Oceano vellet avarus opes;
De trabe pendentem ferali vidit Jeſum,
Admotum propiùs; vidit, & exiliit.
Atque novo aggrediens fluctu: abreptumque, rapinâ
Dives confixi Numinis, abdit aquis.
Tum Pino abſtinuit: ſpolio, nempè, amplius iſto
Quid quærat? Nulli par fuit ante Mari.

Xaverio per Cancrum è mari redditur.

Epigr. CLXXXI.

DVm dolet ereptum ſibi Numen: flenſque marinis
Uſque novas fuſis addit aquas lacrymis;

De-

Google

Detulit amiſſum Sabero Cancer: Amoris
Illa ſuas veluti Cymbula vexit opes.
Ceperat audacis furti dolor:indè petenti
Quidni Rem Domino redderet Unda ſuo?

Id. Epigr. CLXXXII.

Chriſte,meum Cor, Lux mea, Tu ſimul ipſe laborum
Et Comes,& longæ Dux mihi,Chriſte,viæ:
Heu!quorſum miſero ſine Te?Cum ſoſpes ab undis
Evaſi,Te non ſoſpite,tunc perii.
Mitte queri, FRANCISCE; Vides, ad littora,Cancro
Ut vectore, tuos appetit ille ſinus?
Jam cape: Vis jubet hæc veſtræ nam mutua flammæ;
Hoc ſine nec Tibi fas eſſe, nec huic ſine Te.

Id. Epigr. CLXXXIII.

Rapta miniſterio cur Cancri redditur Icon;
Cærula dum Domino per freta miſſa ſuo eſt?
Neptuni rubor an hic eſt Raptoris? Iniqui *ne
Compertus furti, reddit,& erubuit.

Id. Epigr. CLXXXIV.

Purpurei elatum gemina inter brachia Cancri;
Deque ſuo pendens ſtipite,Numen adeſt.
Emergenſque mari,Te jam petit.Ilicet, in Te
Portus, Dive, ſuos Dius habebat Amor.
Merſus uterque ſuis, ibat malè naufragus Undis:
Obrutus ille mari;Tuque ſed à lacrymis.
Ergò & in amplexus jam tendite brachia:Utrique,
Alteri in alterius pectore Portus erit.

Id.Epigr. CLXXXV.

Franciſco raptam Cancer dum reſtituit Rem;
Dedecus obliquæ depulit ille viæ.
Namq;ubi Rẽ Domino libuit quoq; reddere Cancris;
Hos etiam rectâ quis neget ire viâ?

Id. Epig. CLXXXVI.

Siccine non retines? Furti, Neptune, dialis,
Poſſeſſor: Furi nec libet indè frui?
Stultitiæ genus hoc eſt tam citò perdere, quæ vi,
Quæque rapax tantâ ſedulitate paras.
At non ſpontè facis. Rapto diteſcere quiſquis
Uult; duraturas non ſibi quærit opes.

Id.Epig. CLXXXVII.

Degener ipſe ſui quantùm Neptunus! Avarum
Exuit hic priſci moris an Ingenium?
Ejectat viles ad littora, & expuit algas:
At pretioſa ſinu, ſi qua rapit, retinet.
Num pretium tantæ malè noverat ille rapinæ?
Hac Tellus habet, hac ditius Æthra nihil.
Noſco. Locum furto dum quæreret undique; reddit,
Quòd Domini melius pectore nil habuit.

Id.Epig.CLXXXVIII.

Bis Matuta diem roſeis ubi ſparſerat ulnis;
Ex imo JESUS æquore ſpontè redit.
Nempè, diu procul à vultu, dulcique Clientis
Amplexu, Domino non libet eſſe ſuo.
Ergò Virum inſequitur: Cancro vectuſque curuli,
Optatos repetit ſat procul indè, ſinus.
Eſt Homini laus prima, Deum* ſi fortè ſequatur:
Te, Franciſce, Deus viſus & ipſe ſequi eſt.

Ab eo tempore Cancrorum Genus,
Cruce ſignatum, eò loci propagatum eſt.

Epigr. CLXXXIX.

QVæ nova Cācrorū Geneſis? Quos Unda rubētes,
Inſigneſque Crucis ſtigmate, Mater alit.

* *Sequere Deum, ſapientum Dogma præcipuū.*

Ex quo Sabero ſuffixum in ſtipite Numen
Detulit;has Crucifer Grex natat inter aquas.
Sorte tamen meliore:Gregis Plebs ante marini,
Nec niſi Teſtarum de Grege Vulgus iners ;
Poſt Cruce donatum: lato jam Purpura clavo
Non uno rubet in tergore, ſed triplici.

Id. Epigram. CXC.

Purpureo Cancros Doris veſtivit amictu :
Impreſſitque cuti deſuper Æthra Crucem.
Quàm malè conveniunt:ſeque uno in tergore jungunt
Trabs hæc pœnalis,Regius ille color?
Quin benè. Crux nunquam ſine Regno contigit ulli:
Ulli necRegnum contigit abſque Cruce.

Id.Epigr.CXCI.

Dive, Crucem,rapido raptam Tibi vortice,Cancer
Detulerat,multas bajulus inter aquas.
Digna operi merces,humero Crux addita: vilis
Claruit à pulchro ſtigmate Progenies.
Obſcuro Genus indè Gregi,Crux indè & equeſtris
Eſt ſua: & inſignis jam Cruce Turma mari eſt.
Penditur æqua pio merces ſic,nempè,labori;
Et Fit honos;onus his Crux quibus ante fuit.

Moriendi pro Chriſto cupidiſſimum, Deus ipſum, & ipſe ſe pro Dei gloria,nec ſine miraculo,ab Idololatrarum manibus eripit.

Epigram.CXCII.

TOxica Te,flammæque petunt:Te ſaxa,ſagittæq;
Una quid, heu! tot lux mortibus illa patet?
Mors erat una ſatis:ſed Te Deus uſque ſub ictum
Jam tempeſtivæ ſubtrahit ille neci.
Et nunc fulmineo lictores perculit igni:
Toxica nunc vetuit,tela nocere, faces.

Tam

Tam benè luctantem cernens cum funere; ſæpè
Quidni Te rapiat, ſæpiùs ut videat?

Id.Epig.CXCIII.

Sic necis urget amor dum Te, Franciſce; cruentam
Cur fugis hanc,quam dant barbara ſaxa,necem?
Defixamque trabem bino vix pollice, navis,
Quò fugias, vada per fluminis inſtar agis.
Noſco: Animi plus, quàm eſt dextræ,mirabile robur.
Fortior eſt,qui ſic imperat ille ſibi.
Eſto, mori multis pro Chriſto malle: ſed uni
Hæc Tibi laus, malis cum mage, nolle mori.

Id.Epig.CXCIV.

Hinc Idololatræ ſaxis; præcluderet illinc,
Dive,fugam multâ dum Tibi flumen aqua;
Impellis digito quercum ſuper amne trabalem;
Trajecto eludas gurgite quò lapides.
Nempè, fugis: ſervaſque aliis Te mortibus:Iſtud
Sæpè mori velle eſt; nè moriare ſemel.

Tanto Divini Amoris æſtu corripiebatur, ut veſtes vel excutere, vel etiam ſcindere, vultumque in gelidam immittere cogeretur.

Epigram.CXV.

Dius Amor,Franciſce, ſuo dum Te petit arcu;
Conſciſſâ nudas veſte repentè latus.
Quàm malè conſultum! Nudato pectore, cordis
Certior in vulnus ſpicula mittet Amor.

Id. Epigram.CXCVI.

Noſco: ſuos Amor ut meliùs collimet in ictus;
Cor aperis: jaculò totus & indè pates.
Num multo ſatis haud langues à vulnere? Amori,
Spicula adhuc quæris plura? ſtat indè mori?

Vi-

Vivere, ais, non indè mori hoc eſt. Magna ſuperſtes
Pars erit indè mei, ſi modò vivit Amor.

Id. Epigram. CXCVII.

Quàm violentus Amor! Tanto irruit impete, & igni
Tanto; ut nec miſeræ ſis patiens tunicæ!
Scindere & hanc cogit nudato pectore. Vis hæc,
An Pietas? Pius eſt, an violentus Amor?
Hinc tunicam, multo figens Te vulnere; deſit
Nè multa ad vulnus faſcia, ſcindit Amor.

Id. Epigram. CXCVIII.

Siſte Amor, & flammæ poſthac, & parce pharetræ;
Fige, precor, minùs hos, & minùs ure ſinus.
His nulla eſt plagis, huic nulla medela vel igni:
Quam feret excuſſa hæc, ſciſſaque veſtis opem?
Vulnera non curat, cohibet quæ faſcia: Amoris
Ventilat excuſſæ veſtis & aura facem.

Id. Epigr. CXCIX.

Ureris, & flammæ Te vis quàm corripit! At Tu,
Franciſce, os gelidâ mergere pergis aquâ.
Fruſtrà es: nempè, alia huic morbo medicina paranda!
Non ſatis hæc iſtas enecat Unda faces.
Fac necet: aſt ubi Morbus, ibi & Medicina: calentem,
Si potes in gelidam mittere, mitte Animam.

*Ex nimiâ cœleſtium deliciarum copiâ, identidem ſuecla-
mabat: Satis eſt, Domine, ſatis eſt.*

Epigram. CC.

SUfficit, exclamas, Saberi, ſufficit; impar
Ferre Deum, tacitos dum ſubit ille ſinus!
Vivis adhuc, animâ non deficiente, ſuperſtes.
Quòd ſatis eſt, mirer? Miror at ipſe, quòd es.
Quantus eras, Cui tanta Dei dum ſufficit uni
Copia, tam vaſto haud deficis in pelago!

Id. Epigram.CCI.

Quæ Te demulcent Mentis bona Gaudia:ſenſus
Dia tuos & quæ ſopiit Illecebra;
Pectoris illa ſinus ſic influit ubere rivo;
Qualè ſuperfuſis effluit Amnis aquis.
Ah ſatis,exclamas,Satis eſt. Hæc parciùs; aut Cor
Par mihi des,o Jeſu; aut Tibi pone modum.
Nunc Satis? At contrà Tibi proh quàm plura petebas!
Nempè, frui nil hic mens Tibi,multa pati eſt.

Id.Epigram.CCII.

Nilne frui mens; multa pati,Franciſce? Quid amplos
Vis ſimul,anguſtos Cordis & eſſe ſinus?
Nil ubi dura ſubis,ſatis eſt: Te ſi qua voluptas
Vix ſubit; ingeminas: Oh ſatis! Oh ſatis eſt!
Durus Amor tam dura ſuo fert jura Clienti:
Solus amat, gratis, credite, ſi quis amat.

Id.Epigram.CCIII.

Quem non Oceani vis omnibus obruit undis;
Quæ fluit è Cœlo gutta vel una facit.
Nec capit hanc adeò vaſti vel pectoris Heros:
Cui Terræ totus non ſatis Orbis erat.
Diſce,manent Cœlo quæ gaudia:nempè, beati
Pars quota Cœli hæc eſt? eſt tamèn illa ſatis.

Id.Epig. CCIV.

Pauperies huic multa ſatis:nil Orbis in Orbe
Namque habet: & Satis eſt,Eſt ſatis,ingeminat.
Quàm malè conveniunt,ſimul uno atq;ore morantur!
Quid ſatis eſt homini,dic age,cui nihil eſt?
Proh miſeri! malè quàm ſapimus!Satis,ilicet,olli eſt,
Cui nihil haud ſatis eſt: cui ſatis & Nihil eſt.

Id. Epigr. CCV.

Dive, ſat eſt,geminas, pleno cum Numinis hauſtu
Effluit:& nimio à nectare Pectus hiat.

Ni-

Nil miror: magè mirarer, ſi deforet. Ulli
Nam quid jam deerit, cui Deus ipſe ſatis?

Ad Aram faciens, bis ferè in aërem rapiebatur, in Conſecratione, ſcilicet, & ſumptione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.

Epigram. CCVI.

DUm Cererem immutas: verbiſq;potentibus ultrò,
Tam parvo magnum claudis in Orbe Deum;
Sublimis medio, Franciſce, bis aëre pendes:
Et ſimul una rapit Vox operoſa duos.
Vim vi ſic penſat. Quem Tu deducis ab alto;
Quid ni deducat Te quoque ad alta Deus?

Id. Epig. CCVII.

Saberi Deus eſuriem ſeu pellit edulis;
Sive ſitim, ſacro ſorbilis è cyatho;
Evolat is, toto ac ſe tollit ad aëra niſu:
Et pede pennigeras præpete vincit Aves.
Alatum benè quàm pinxit, qui pinxit Amorem:
En volat implumi tergore, ſi quis amat.

Id. Epig. CCVIII.

De Cœlo, Cereris mentitum fruſtula, Numen
Franciſcus validâ vix ubi voce trahit;
E Terris ſubitâ trahitur vi: corpore ſursùm
Evecto, aërei terga premitque Jovis.
Mirariſne trahi ſine pondere in aëra Corpus?
Plus eſt in Terras Numen ab Axe trahi.

Id. Epigram. CCIX.

Nam quæ Te tanto vis impete tollit, ad aram
Dum facis, & celſo dum trahis Axe Deum?
Et traheris ſimul, & trahis: hæc vis mutua amoris,
Nempè, eſt, impenſi munus & officii.

It memor officii quiſque obvius: Alter amantis
Alterius Magnes: Raptus uterque rapit.
Id. Epig.CCX.
Nam quò ſpontè feror, veſco vix paſtus Jeſu?
Quò Jeſu potus ſanguine, ſpontè feror?
Terrea nec Moles hæc me gravat. Ocyor Euro,
Immemor ingeniti ponderis, alta peto.
Cordis Amor, ſic audieram, fit pondus Amantis.
Contra eſt:nil grave,quod non leve reddit Amor.

Eucbariſtiam Populo Goæ impertiens, genu, ut erat, flexo, per aërem fertur.
Epigr.CCXI.

DUm populos diâ recreas Dape,Dive,per orbem,
Deque genu,Pietas quæ tua,munus obis;
Te liquidum Cœli libras per inane: famemque,
Circumiens, oculos ſic quoque,nempè, beas.
Pervia non homini patuit via: Prima volucri
Par pennæ, ignotum Planta cucurrit iter.
Nec tua vis hæc eſt, via nec, Sabere: latentem
Quem vehis; in cruſto dapſilis, ipſe vehit.
Id.Epigr. CCXII.
Plena Deo Turbæ dum fercula dividis: ipſo in
Corpore Te nullum Corporis urget onus.
Corpus habes: grave nilq; refert ſed corpus;ut iſthæc
Nil quoque,quæ Panem, fercula Panis habent.
Id.Epigr.CCXIII.
Ponderis Alter habet nil,Panis & Alter: Jeſus
Aſt oculis, quod adhuc deſiit eſſe, refert.
Nec Tibi Corpus abeſt:nullâ ſed,Dive, gravaris
Mole tui:nil ſic Corporis ipſe refers.
Bina ſimùl quàm mira! Polo Tu tolleris:ac ſe
Deprimit Hic. Ergò ſeſe & uterque negat.

Id.

Id.Epigram.CCXIV.

In Cererem ſeu voce potens vis abdere Numen;
Seu mavis cupidos olli aperire ſinus.
Saberi,liquidum Te tollis in aëra: & imis
Jam procùl à Terris,Aſtra vides propiùs.
Hanc quis de Cœlo Cererem poſt abnuat? Ipſo
Terrigenas facit hæc corpore Cœlipetas.

Id. Epigram. CCXV.

Aërio incedens ſublimis calle, dapalem
Dividit argento è divite Miſta Deum.
Scilicet, hæc tantæ par eſt reverentia Menſæ.
Hæc tractas: Cave vel tangere,ſi quis, humum.

Armatas Badagorum Copias in Neophytos irruentes, ſolus, inermiſque in fugam vertit.

Epigr.CCXVI.

OMnia dum ferro fœdant,flammiſque Badagûm
Agmina de tantâ nec ſibi cæde ſat eſt;
Prodiit adverſum Saberius unus in hoſtem:
Unus Victores vicit, & indè fugat.
Exarmatque Viros vultu, quo terret inermem
Armati pallent ore,paventque Duces.
Quos huic jam partos compones,Roma,Triumphos?
Viciſti ferro: vicit at hic animo.

Id.Epigram.CCXVII.

Voce minax,vultuque trucem Xaverius hoſtem
Obvius, imbelles ut Lupa fudit oves.
Pes & humi, trepidis hæſit vox faucibus: atque os
Ferre Viri, nudas nec potuere minas.
Parve,quid hinc paueas,Chriſti Grex?Irrue in hoſtẽ:
Hoc Duce,vel nullo Milite, Victor eris.

Id.

Id .Epigr. CCXVIII.

Scipiadas vocitant belli duo fulmina ; ab armis
Palma quibus multo parta labore diu eſt.
Saberi laus hæc, viſu qui perculit uno:
Vix tangi vidit , fulmine qui cecidit.

Id.Epigr.CCXIX.

Qui denſos,ad ſæva ruentes arma,Badagas
Poſſe minas Hominis ferre,nec ora, vides;
Diſce hinc,quid Pietas valeat, quæ præſtet; inermis
Armatos vincens robore ſola Duces.
Nam quos nulla virûm viciſſent arma; vel uno
Saberus verbo vicit, & intuitu.

Id. Epigr. CCXX.

Vicimus en citrà ſed vulnera. Pulchrior illa
Laurus, ab innocuo quæ venit hoſte,viret.
Arma fuere Timor : victi hoc cecidere:fugaces
Cædibus armatas abſtinuere manus.
Sic neque Victori, aut Victo Mars noxius: Hoſti
His vinci poterat vel placuiſſe modis.

Id. Epigram.CCXXI.

Ore tonas: oculis intorques fulmina . Viſu,
Saberi, ac ſolâ prælia voce geris.
Marte pio pugnax,ſat habes terrere: vel Hoſti ,
Parta Tibi, victrix Laurea non nocuit.
Floruit hoſtili Laurus ſine ſanguine : Laurus
Non hac Saberodignior ulla foret.

Onerariæ, à Sancta Cruce nuncupatæ, perpetuam in mari ſecuritatem ſpondet, ac benè precando confert.

Epigram. CCXXII.

A Cruce cui nomen, toto Saberus aquarum
 Victricem pelago juſſerat eſſe Ratem.
Indè oneris modus eſt nullus: non mitia quærunt
 Æquora, non tutæ flabra, vel Aſtra viæ.
Quælibet Aſtra viam, vel flabra, vel æquora pandũt.
 Portus & olli, aliis eſt ubi naufragium.
Scire cupis, domito palmas quot rettulit una hæc
 Oceano? Senas vicit Olympiadas.

Id. Epigram. CCXXIII.

Sex per luſtra jerat: caſuſque annoſa marinos
 Irridens, Abies una premebat aquas.
At dum Nauta cavet puppi diſcrimina putri,
 Perdidit, Oh crimen! perdere quòd timuit.
Nempè, fatiſcentem retrahens ad littora, longæ
 Sarciat utque viæ damna; ſoluta perit.
Auſpice ſic Te, Dive, Maris quæ riſerat iras;
 In portu periit: naufragiumque tulit.

Petro Vellio, miſericordiâ in Pauperes inſigni, duo ſpopondit: Nullum, ſcilicet, vel diuturno in Ævo Paupertatis experimentum, & certum vicinæ mortis indicium.

Epigr. CCXXIV.

Ditior en animo es; cum ſis ditiſſimus auro:
 Et nunquam parcâ das mihi, Petre, manu.
Lucra paras; lucri cœco non carperis igni:
 Non malè quæſitas, ſat benè ſpargis opes.

Pa-

Paſta fames, tutuſque Pudor, Te vindice, ſæpè eſt.
Digna feres animo præmia, digna manu.
Pauperies Te nulla premet: cenſuque beatum
Sera petet Mors. Das plurima: plura capis.

Id.Epigr.CCXXV.

Quæ referas, Velli, cui Cor, cui Dextera, nummis
Cui totiès Inopi ditior Arca patet?
Diſce: Diu vives, auro ſat dives, & annis:
Expectata ciens funera, deficies.
Mors aliis felix: aliis eſt Vita; ſed uni
Fas Tibi felicem vivere, eritque mori.

Mortis proximæ indicium, ex dulci in amarum commutato Vini ſapore.

Epigr.CCXXVI.

NOn procul eſſe mones funus, Sabere, ut Jaccho
Se dulci ſubitò miſcet amarities.
Cogis & abſtemios propè lethum ducere ſoles.
Nempè, decet ſiccos fata præire dies.
Sobrius hinc diſcat moriturus vivere: ſaltem
Ebrius ut vivas; ſobrius at morere.

Id.Epigr.CCXXVII.

Ergò aderat jam ſumma dies; cum Vellius ultrò
Ipſe ſibi, pompâ præcoce, funus obit.
Namque videnſque, vigenſque, ſacris ac ritè piatus,
Componens pheretro, ſe ad ſua juſta parat.
Extremumque ſibi Myſtas circum ore precantes,
Hocne mori dices? Audiit, atque abiit.
Cernere ſic potuit, quæ vel poſt fata ſequuntur
Inferiis verè interfuit iſte ſuis.

Xaverio gravius aliquod ferente apud Indos, Chriſto in paterna eius domo apud Hiſpanos ſanguine manat.

Epigram.CCXXVIII.

EXtremos ubi dura ſubit Saberus ad Indos;
In Cruce, quâ pendes, Chriſte, cruentus eras.
Illum tela petunt, feriunt Te. Mergitur undis
Alter: Tu roſeo merſus ab imbre mades.
Alter in Occiduis, in finibus Alter Eöis;
Tam procùl abſentes quis propè junxit? Amor.

Id. Epigr. CCXXIX.

Hos junxiſſe parum: geminos confudit Amantes:
Non ambo ad pœnas ambo, ſed unus erant.
Unus erant: vivoque rubens vel mortua rivo
Effigies, ſua non damna cruenta tulit.
Hæc tua vis, Amor. In FRANCISCO vivere JESUM,
FRANCISCUM in JESU vivere, fecit Amor.

Id. Epigram. CCXXX.

Qui bona, quiſquis ais, tantùm communia veræ
His fore, quos fœdus junxit Amicitiæ;
Aſpice; confixi falſum Te monſtrat Jēſu,
Tota fluens roſeis imbribus, effigies.
Sic charo indoluit capiti: nempè, ardet amati
Plus mala, plus etiam vulnera, ſi quis amat.

Id. Epigr. CCXXXI.

Lignea, ſuffixum ſimulans Cruce Numen, Imago,
Quæ mala Saberus pertulit, illa refert.
Namque cruenta domi monet, Indus ſi quid, Jāpon
Si quid Saberum ferre, coēgit atrox.
Multa pati jam quis pro Te non optet, Jēſu?
Quæ pro Te patimur, Nuncius ipſe refers.

Id. Epigr. CCXXXII.

Immò referre parũ eſt, quos pro Te, Chriſte, labores
Saberus tulerit: plus tuus addit Amor.
Ligneus es; toto vivus ſed corpore ſanguis
Effluit:& roſeo Nuncius imbre venit.
Sic referens tot dura Viri, totque aſpra Clientis;
Tu monitor, monitrix Tuque Tabella venis.

Id. Epig. CCXXXIII.

Fallimur. Haud hoc eſt tantùm perferre Tabellam:
Non is FRANCISCO ſola Tabella fuit.
Sanguineo totus maduit de ſtipite rivo.
Hoc non FRANCISCI dura referre, pati eſt.

Id. Epigr. CCXXXIV.

Pro JESU quæcumque tuli, jam lignea JESU
In ſe, tincta ſuo Forma cruore notat.
Hæc ſubiiſſe juvat. Pœnis qui debita pendet
Præmia, jam memores rettulit in Tabulas.
Nec ſatis: Ipſe novum decus addis: quique Relator
In Tabulas, JESU, Tu mihi ſis Tabulæ.

In Sinas aditum maturans, de vicina morte à Deo fit certior.

Epigram. CCXXXV.

SInarum dum clauſa doles Tibi Regna: nec illuc;
Longa ubi jam fuerant, pergere vota licet;
Nuncia vicini Vox lethi, ad ſidera quæ Te,
Ad Cœli quæ Te ad Gaudia miſſa vocat.
Dive, queri jam mitte: Tibi quæ cauſa dolendi eſt?
Clauduntur Sinæ; ſed patuere Poli.

Id. Epig. CCXXXVI.

Falleris: eſt nam multa ſatis mihi cauſa doloris.
Occluſo, Sinis Styx patet una, Polo.

Gens

Gens nigro regnata Jovi, atque impervia, nullam
Excipit, Axe oritur quæ meliore, diem.
Una ſalus miſeris, JESUS excluditur unus:
Cæca tenet dominans cuncta ſuperſtitio.
Ergò age, & iſta, Deus, perrumpas clauſtra: Roganti,
Vel ni vis Sinas pandere, claude Polum.

Singulis ſextis Feriis, quo die Xaverius erat moriturus, toto anno idem Ieſu in Cruce ſimulacrum ſanguine fluxit: eodemque mortuo ſtetit.

Epigr. CCXXXVII.

QVòd lucis, FRANCISCE, dies non ultima; quòd nec
Mors Tibi ſanguineo ſævior ore venit;
Quid cauſæ, fas noſſe domi; dum pendula trunco
Effigies JESU tota cruore fluit.
Imperioſus Amor! JESUM quò cogit amantem!
Vulnera, quæ Tibi non intulit, ipſe tulit.

Id. Ep. CCXXXVIII.

Dicta dies famuli letho, totum illa per annum,
Fluxerat, heu! Domino ſpontè cruenta ſuo.
Nempè, ſtetit tanti Domino Mors ſicca Clientis;
Fuderit ut dias ſæpè cruoris opes.
Quantus es, indè tenes: nè Tè ſemel ipſa cruentat
Mors; totiès ſeſe, Dive, cruentat Amor.

Id. Epigr. CCXXXIX.

Credetis? Nulli non hic lacrymabilis Heros,
Omnibus, hinc abiens, illacrymatus obit.
Non ægro Pietas impenſa, aut Pompa ſepulto:
Non comites tanti funeris aut lacrymæ.
Nil Homines doluere: dolet Deus: una negatur
Lacryma: ſed dius defluit amne cruor.

Id. Epigram. CCXL.

Ultima Sabero vitæ lux, ultima Jesu
  De Cruce fundendi ſanguinis illa fuit.
Sæpè recens ac ſi multo de vulnere, vivo
  Chriſtus Sabero,fluxit & exanimis.
Ille hæc ſi noſſet,vel non vixiſſe;vel ultrò
  Credibile eſt,nunquam non voluiſſe mori.

Id. Epigram. CCXLI.

Sanguine,Franciſco cur, Chriſte, ſuperſtite,manas?
  Vivere ſed ſimul ac deſiit, Unda ſtetit.
Debueras letho,non vitæ tanta doloris
  Indicia: hiſque præis funera,non ſequeris?
Sed vivo Tu jure doles: cui vivere Crux, &
  Mors erat; extincto nil Tibi,cur doleas.

Ab omni prorsùs ope vel Vectorum, vel Comitum deſtitutus, in Sanciano decumbit.

Epigram. CCXLII.

OMnium egens,atque omniū inops, moriturus ad
  Egelido languens ſub Jove,Dive,jaces. (Indos,
Extremumque diem deſerto in littore,ſeros
  Ad Sinas,patrii Climatis exul, obis.
Nulla thori, Tibi nulla domus ſolatia,lethi
  Nulla,Tibi vitæ deficientis erant.
Sic Orbis tantum Chriſto qui viceris;Orbis
  Summa Tibi ſpolium eſt, unaque,Pauperies.

Id. Epigr. CCXLIII.

Proh quantus moreris! Quot & inſcia perdit in uno
  Heroes! Mala quæ perferet hinc & Eös.
Namque dies Tecum Eöis primùm appulit oris:
  Quâque,ſuo dives Sole carebat Eos.
Non ægris jam certa ſalus.Ad gaudia lucis,
  Quis letho rapiens,evocet à tumulo?

Quove

Quove jubente, fremens ſileat mare? Quo vel amara,
Non ſua det dulces munera Doris aquas?
Omnia Tu fueras Indis, Franciſce: cadenti
Præmia quæ Tibi Gens reddidit Inda?|Nihil.

Id. Epigr. CCXLIV.

Non ſcelus,ingrati labes non pectoris iſta eſt.
Credite,Saberum ſic voluiſſe mori.
Nudus,inops, nudo in ſcopulo, terræque, ſuique
Nilque loci,tantùm quo moriatur,amat.
Pauperie ſic ille ſuâ mage lætus: Eunti,
Nempè,levis ſat,cui ſarcina nulla,via eſt.

Id.Epigram.CCXLV.

Gens longæ Tibi dura viæ Comes obtigit:ægrum,
Quæ nec Te doluit,Dive,nec Exanimum.
Nulla inopem juvit Pietas: non cura jacentis
Ulla:vel extincto funus,&Urna fuit.
Debuerat periiſſe ſiti: cui ad pocula dulcem
Oceanum dederas; pernegat hæc lacrymam?

IdEpigram.CCXLVI.

Sic Tibi vile Caput Saberus,ſcilicet,uni eſt,
Sinica Saberi per freta Turba Comes?
Languentem ſiccis oculis vidiſſe: jacentem
Sub Jove,vel nudo in littore,paſſa mori es.
Quantum Orbi deflenda Viri Mors, diſce: præivit
Flere ſui longo ſanguinis imbre Deus.

Feriâ ſextâ eâdem,quâ Chriſtus Dominus in Cruce, in Sanciano moritur Xaverius.

Epigram. CCXLVII.

VNa,eademque dies Te funere merſit, & hora;
InTrabe quæ fixum merſerat ante Deum.
At cur non letho moreris confixus eodem?
Unus es,haud unus: diſſimilis, ſimilis.

Nempè, quòd hæc fuerat Crux lux Tibi tota; cruento
Debueras haud à funere poſſe mori.

Expirans, os in riſum, oculos ſolvit in lacrymas.
Epigram. CCXLVIII.

SOlveris in riſum moriens, Franciſce: vel ipſam
Franciſco Mortem vincere Riſus erat.

Id. Epigr. CCLXIX.

Riſiſti Mortem; rapto quòd vivere ſueta,
Amplius in Te nil, quod rapiatur, habet.
Jus olli in vitam; vitæ tamen ipſe rapinam
Riſiſti: cuncta hæc una rapina dabat.

Id. Epigr. CCL.

Quo Riſum ore cies, Animam unà emittis eodem:
Et nova fit letho, nec ſua jam facies.
Riſiſti; ridenda monens hæc omnia. Sic eſt:
Cuncta habet, ut mera ludibria, quiſquis obit.

Id. Epigram. CCLI.

Flent oculi: ridet ſimul os: riſuſque decoris
Miſcentur lacrymis gaudia, dum moreris.
Quam nova moliris moriturus fœdera? friget
Ut nive, quæ flammis æſtuat Ætna ſuis.
Scinderis an moriens ſtudia in contraria? Sinas
Ardet adhuc Tibi cor: ardet adire Polum.
Hinc Sinas quòd non adeas, fles: indè Polumque
Quòd moriens adeas, Te quoque Riſus habet.

Id. Epigram. CCLII.

Illacrymas tua, Saberi, atque ad funera, rides:
Morſque eadem riſus attulit, & lacrymas.
Mortales moriens ſic inſtruis. Illa beatos
Mors Riſus, lacrymas ſi qua dolentis, habet.

Vi-

Vivâ calce bis obrutus;recens, vegetuſque, ac ſi viveret, ſemper permanſit.

Epigr. CCLIII.

SAberi,vivâ tumularis calce;ſed ipſo
Vim nocui eludens Pulveris in tumulo,
Integer,ac primi flos ævi:plenaque ſucco
Membra vigent,lethi neſcia membra ſui.
Vix pauci Tumulo ; calci non reſtitit ullus:
Unus es & calcis Victor,& es Tumuli.

Id. Epigram.CCLIV.

Temporis,& longi vitium haud ſentire ſepulchri,
Sabero miris dat Libitina modis.
Ille ſoporato ſimilis: cui floreus oris
Vernat honos : primus cui nitet ore decor.
Non hæc eſt Mortis Pietas : Vorat illa,voratis
Nunquam explenda epulis,Funeris Ingluvies.
Viventem vacuis totiès experta ſepulchris;
Mors hunc extimuit, nempè, vel exanimem.

Odore manat ſuaviſſimo à morte, ac tumulo.

Ep. CCLV.

DEfoſſo,Franciſce,ſolo malè conderis:imâ
Nec de fæce ulli vilior Urna foret.
Nè parco ſparſere quidem Tibi pollice flores :
Nullus odorati pulveris halat honos.
Flore quid hìc opus eſt,quid odoro pulvere ? odorus
Tu Tibi Flos, tumulo Tu Tibi Pulvis eras.

Pluriès è ſacro Corpore, non ſecus, ac ſi viveret, ſanguis effluxit.
Ep.CCLVI.

NIl habet exanimi exanimis Saberius:Idem,
Erutus è tumulo, nil & olet tumuli.
Nec ſatis:extincti jam ad vulnera Corporis, ultrò
Exiliens roſeo profluit amne Cruor.
Optanti ſic longa Viro quæ vota negarat
Vita; Huic fundendi ſanguinis Urna dedit.

Id.Epigram.CCLVII.

Sanguine ſæpè mades à funere, Dive; feriris
Seu cultro; male ſeu Te brevis Urna premit.
Tu modò, quòd ſiccâ caderes à Morte, dolebas:
Nulla tulit ſeu quòd vulnera ſumma dies;
Mitte queri: ſemel eſt aliis, Tibi ſæpè, nec expers
Uulneris:Illis Mors, Urna cruenta Tibi eſt.

Id. Epigr. CCLVIII.

At non iſte ſatis Cruor eſt, non Uulnus: Amanti
Plaga eſt, ni doleat, nulla cruenta ſatis.
Ante ſatis doluit:vitâque manente, dolorum
Inſcia Sabero nam quota Lux abiit?
Ergò, quòd doluit vivens ſine vulnere; vulnus
Exanimis tulit à funere; nec doluit.

Ex vulnere, propè latus poſt mortem accepto, ſimul cum ſanguine, & aqua fluxit.
Epigr. CCLIX.

EXtinctum Te, Dive, ferit dum culter; aperto
Permixtis Cruor è vulnere manat aquis.
Scilicet, hæc fuerant viventis Vota: tuoque
Sanguine Te; Indos ſed flumine ut elueres.

Hæc

Hæc eadem poſt fata tenes:Cruor,utque cruenta
Sit Tibi Mors:Indos ut lavet,Unda fluit.

Id. Epigram. CCLX.

Nulla huic par eſt laus.Duplici hoc Deus ipſe fluento
Fluxerat,ut ſacrum contudit haſta latus.
Quanta utrique fuit Pietas! Feriuntur:eoſdem,
Quos cruor infecit fuſus, & Vnda lavat.

Pia Mulier, per ſpeciem oſculantis, morſum pedis digito infligens ſanguinem elicit.

Ep. CCLXI.

DVm pia nudatis Plebs figeret oſcula plantis,
Ebria Saberi dulcibus illecebris;
Fruſtillum mulier ſibi præreptura, labello
Prona pedem,ſimulans baſia,dente petit:
Dilaceratque.Malum,proh quantum Fœmina! Fecit
Hæc pia: corde furens,diſcite, ſi quid agat.

Id.Epigram. CCLXII.

Ergò etiam ad morſus ipſa erudit oſcula? Sic eſt,
Nempè,nocet plus tunc Fœmina, ſi ſit amans.
Crudelem ut timeas; blanda eſt magis illa timenda:
Tunc caveas,laqueis nè capiare ſuis.
Fœmineis quantùm licuit malè fraudibus! Eheu!
Uulnera ubi non ſunt,oſcula ſi lacerant?

Id. Epigr. CCLXIII.

Ah cave,dicebam,Mulier. Quid ſubdola quæris,
Saberi exanimem carpere dente pedem?
Id furti genus eſt, cui ſpes eſt nulla latendi:
Detegit hæc fures ipſa Rapina ſuos.
Fac taceas:ipſo,quò culpam admiſeris ore;
Culpa oculis ſe,vel muta,ſatis loquitur.

Id. Epigr. CCLXIV.

Callida vel fuerit; furto deprenſa,tenetur.
Exiliens,furem prodidit, indè Cruor.
Sic benè:quæſitâ malè plectitur ecce rapinâ:
Et furti fructum amiſit,& erubuit.

Id.Epigram. CCLXV.

Non auſas Te, Dive, ferunt attingere Tigres;
Obvius iratis auſus ut iſſe feris.
At non extincto par eſt ſors. Fœmina morſus
In Te vulnificis dentibus exacuit.
Sic cui fœmineo manſueſcunt viſcere Tigres;
Hircanâ pejor Fœmina Tigris erat.

Id. Epigr. CCLXVI.

Fallimur. Illa pio vel cum Te dente momordit:
Supplice vel morſu ſævit,adorat,amat.
Ante tuos abiecta pedes,Tibi ſupplicat uni:
Dum malè ab infixo noxia dente premit.
O Amor!O Pietas!Sabero fecit Amantis
Hoc Pietas,quod non fecerat & Feritas.

Id. Epigr. CCLXVII.

Erubuit,ſaliente loquax ubi ſanguine, furis
Detexit tacitos facta Rapina dolos:
Indiciumque ſui fecit.Peccaverat ore:
Quî fraus elinguis, mutaque culpa foret?
Jamne negas , Mulier furti comperta?Tuo Te
Arguit ore, tuo noxa vel ore tenet.

Id.Epigr. CCLXVIII.

Ergo ſuæ Furem ut pigeat,pudeatque rapinæ;
Ipſa etiam morſo pars pede læſa rubet.
Purpureo namque imbre fluens divulſa ; Puellæ
Audax detexit;puniit & facinus.
Sic ſua neç miſeram juvit fraus : Criminis index,
Quique Cruor fuerat crimen, & ultor erat.

Id.

Id. Epigr. CCLXIX.

Sopito Mulier noctu Tibi viſa, cruorem
E vena læſi Pectoris elicuit.
Elicuitque eadem extincto : dumque oſcula Plantæ
Infigit nudæ, Planta cruore fluit.
Erubuit viſuque Pudor, tactuque Puellæ.
Hanc nec ſopitus, nec tulit exanimis.

Typhonas, eo loci Navium peſtes, à Sanciano mortuus exterminat, ut antè Tigres.

Epigr. CCLXX.

NOn ſua Japonio fecerunt jam otia Ponto
Typhones: placido jam ſilet aura mari.
Saberum ut lethi tenuit ſopor ultimus; auræ
Ultima vis ſueto turbine torſit aquas.
Namque ubi deſieras, Saberi, vivere; & ipſos
Typhonas, credo, tunc voluiſſe mori.

Id. Epigr. CCLXXI.

Te duplex, Sanciane, Lues vaſtabat, Aquarum
Typhones, Nemorum Perniciesſque, Tigres.
Sed gemino par una Malo eſt vis: unus utramque
Saberus procùl hanc expulit indè luem.
Non ibi jam Typhon, non Tigris ſævit: eidem
Indè ſolo ingenium eſt mitius, indè ſalo.
India quæ Baccho Tigres; jam, Dive, jugales
Typhones addet Tygribus illa pares.

Navis, Xaverii corpus Malacam deferens, per apertum ſpontè, inquem ſeſe induerat, ſcopulum tranſit.

Epigram. CCLXXII.

QUæ Te cæſa vehit patriis è montibus; Argo
Vectori portum debuit illa ſuo.

Nam

Nam cæcum impacta in ſcopulum, pellentibus undis,
Hæſerat:ac toto jam via clauſa mari eſt.
Naufragio at ne Tu pereas;amiſit,aperto
Ipſa ſuam Rupes viſcere,duritiem.
Et mox ſpontè patens,mediam ſe diſſidit:Alno
Noxia nil, liquidas ſic dedit ire vias.
Iamne tuis homines mirer molleſcere dictis?
Molleſcunt ſcopuli, Dive, nec eloqueris.

Id.Epigr.CCLXXIII.

Non loqueris:nè,Dive,quidem Tu vivis;& audit
Extincti Rupes ſurda vel imperium.
Indociliſqueloco lapis ulli cedere;cœptum
Quò pergas,facili viſcere ceſſit,iter.
Priſca Palæſtinæ ſileant Miracula;latas
Iordanis medio cum dedit amne vias.
Plus molles ceſſiſſe lacus, an ſaxa?Patère
Exiguum plus eſt flumen, an Oceanum?

Id.Epigr. CCLXXIV.

Iſacidum nè tardet iter Mare; fluxile Rubri
Exuit ingenium durior Unda ſali.
At nè Saberò;ſcopulos quoque ſindit; aquarumque
Induit ingenium flexile ſpontè lapis.
Utra magis Rerum mirer miracula?Namque
Hinc ſtetit Unda fluens:ſtans fluit inde Lapis.
Durantur latices, lapides molleſcitis? Ergò
Nec lapis hic lapis eſt, unda nec unda fuit.

Malacam invectus,peſtem ſui odore Corporis ſæviſſimam ſubitò extinxit, famemque expulit.

Epigr.CCLXXV.

QUanta lues totâ,heu miſeram!graſſatur in Urbe!
Nil ibi quàm funus cernitur, aut tumulus.

Mors

Mors indiſcreto metitictu: Fertur & uno
Cum ſene non unus ſæpè Puer pheretro.
At ſimul appulſo Saberi ad littora Buſto,
Per vacuas cœpit Civibus ire vias;
Tabida vis ſubitò ſtetit. Effracto improba telo,
Numquam explenda, abiit Mortis & Ingluvies.
Sabero tantùm licuit?Mortem ipſe peremit
Mortuus. Hos Mors poſt ſi perimet, periit.

Id.Epigr.CCLXXVI.

Quà Te cumque vehit longo Gens ordine; pallens
Mors fugit: & morti concolor ore, Lues.
Purior it Cœli facies: hauſtuſque ſalubres,
Et nullâ nocuos tabe, dat aura dies.
Nempè,tuus latè manans odor expulit omnem,
Arte haud pellendam Pæonis,Eluviem.
Sic benè odorato Gens vixit ab aëris hauſtu:
Iſque tulit vitam,qui tulit ante necem.

Id. Epigr. CCLXXVII.

Malacæ Proſopopæa.

Urebar dum Tabe,Fames me dira premebat;
Una licet geminâ peſte coacta mori.
Sed mea,Dive,tenes ut littora: Teque reviſi,
Cum pleno cornu Copia & ipſa redit.
Pulſa Lues,unàque Fames:ſic vivere cœpi
Per Te, quæ per Te deſieramque mori.

Malacæ curtâ admodùm in foſsâ compreſſus, compulſuſque, ſanguine manat.

Epigr. CCLXXVIII.

EVropæque, Aſiæque celer pede Regna cucurrit;
Hoc adeò anguſto qui jacet in Tumulo.
Proh Tellus ingrata!Labori panditur Orbis
Tantum; cui vel humus non ſatis ad Tumulum?

Id.

Id.Epigr. CCLXXIX.

FRANCISCUM curtâ ſic condi credimus Urnâ:
Ac preſſo Terræ pondere malle premi.
Terra gravis nam olli fuerat, dum vita manebat:
Hinc cavet, extincto nè foret illa levis.
Quique ſibi toto nil Orbis in Orbe popoſcit;
Ad Tumulum terræ ſat ſibi nec voluit.

Id. Epigr. CCLXXX.

Impare cur Malaca tegit Te,Dive, ſub Urnâ?
Nullane vel Buſto, quæ vacet,Urna ſuo?
Sed cur,contracto tumulatus corpore,venis
Exiliente fluens ſanguine,tingis humum?
Nempè,tua hæc Pietas, cladi par:daſque cruorem
Extinctus:*vivens jam dederas lacrymas.

Cereus ad Xaverii loculum accenſus, vix ad decem horas alioqui arſurus; per octo ſupra decem dies continenter arſit, ſuperſtite cerâ, majoris,quàm fuerat, ponderis.

Id. Epigr.CCLXXXI.

SAberi ad Tumulum fax arſit:quam Ales, odoræ
Prædatrix Floræ,dædala finxit Apis.
At duraturum denas vix lumen in horas,
Produxit denos bis propè flamma dies.
Si lucere faces,illas eſt vivere; vitam
Fax hæc edidicit vivere & à Tumulo.

Id.Epig. CCLXXXII.

Bina vides ſimul hic Miracula: Cera nec Ignis,
Nec caro vel Tumuli mortua damna tulit.
Bis propè nam deciès ſe merſerat Occiduus Sol:
Semper inocciduo & lumine Cera nitet.
Miraris flammæ jejunia longa? Vorantem
Omnia, plus eſt hìc, quòd tulit Urna famem.

Id.

* *Prædixerat Malacæ cladem, non ſine lacrymis.*

Id.Epigr.CCXXXIII.

Hùc ades,hùc, votis ardens cui pectus anhelis
Flamma vorat: tanto hìc eſt medicina malo.
Vivit ubi impaſtus,mores exoſus avitos,
Mulciber:idem epulis abſtinuitque ſuis.
Ergò Cupidinibus Mors hinc erit: ilicet,ignis
Occidit ad tumulum tanta vel Ingluvies.

Id.Epig.CCLXXXIV.

Abſtinuiſſe epulis:jejunas indè famemque
Integram flammas mox retuliſſe,parum eſt.
Namque ubi ſic arſit, quæ Cera ſuperfuit, auctâ
Mole ſui, majus,credite, pondus habet.
Obtulit obſequium:nec fert hinc damna: Clienti
Noxia non poteras eſſe tuo,Pietas.

Id. Epig.CCLXXXV.

Quæ Tibi,Dive,diu fax arſit cerea;flammæ
Illa vorantis diſpendia nulla tulit.
Crevit & indè:Minor longè inconſumpta fuiſſet:
Incrementa tuo è funere lucis habet.
Quantus es!Obſcuro jaceas nè,Dive, ſepulchro;
Flamma ſuo Ceras,quo vorat,igne creat?

Id. Ep. CCLXXXVI.

Guttatim quæ,Dive,tuam ſe ſolvit ad Urnam,
Cera,ſuas pro Te ſolvitur in lacrymas.
Se quoque plus lacrymans,auget: nam lacryma tantæ
Par eſt jacturæ nulla,vel aucta,ſatis.
Sic,quæ non Homines morienti; vos pia ceris
Extincto lacrymæ dona dediſtis Apes.

Oneraria, ubi ſacrum Xaverii Corpus Goam detulit, ſponte ſua dehiſcens,mergitur.

Epigr.CCLXXXVII.

VLtima quæ Te Abies, à funere,Dive, recentem,
Jura ubi per multas dat Goa, vexit aquas;
Optatis

Optatis ea vix Terris Te reddidit;alto,
Subſidens,cum mox obruta ſpontè mari eſt.
Scilicet,ut tantò tumuit de pondere;nullum
Par ölli pondus,quod veheretur,erat.

Id.Epigr. CCLXXXVIII.

Quàm malè tàm putri longo trabe credis ab ævo,
Saberum vaſto, Nautica Turba, mari!
Namque procelloſis ſatis impar Pinus aquarum
Vorticibus;quantas obruta merget opes!
Fallimur.In portum Ratis hæc haud,credite,mercem;
In portum Merx eſt,quæ vehit iſta Ratem.

Id.Epig.CCLXXXIX.

Tam magnæ Exuvias Animæ dum bajulat;iras
Sæpè eſt inſani paſſa Carina Maris.
Hæſerat in ſcopulos, syrteſque illiſa; ſed illìc
Merſæ ubi tot,ſoſpes luſitat una,Rates.
Mox perit:iratis & quæ modò luſerat undis;
Hæc,ubi mos alias ludere,diſperiit.
Sic oneri Trabs iſta ſuo quàm debuit;ipſo
In portu placidæ vos docuiſtis,aquæ.

Id. Epigr. CCLXXX.

Saberum poſtrema vehens,vix munere Pinus
Functa ſuo eſt;ſeſe cùm cita mergit aquis.
Nonne triumphatis meliùs nunc clarior Euris,
Edomito victrix iret & Oceano ?
Hinc Goa,diſce,tuis quæ ſe Lux appulit oris:
Solem ubi dat Terris, ſe quoque condit Eos.

Mi-

Miracula à Xaverio poſt Mortem edita, cum innumerabilia ferè ſint; quàm pauca ſatis hic fuerit delibaſſe. Et primò quidem, Cotate ante Divi Tabulam ardebant lampades ſolâ aquâ.

Epigram. CCLXXXI.

PAlladio haud opus eſt flammæ, quæ pendet, olivo,
 Dive, ſuo Tibi quòd pervigil igne micet.
Infuſo nam fonte, tuis illa excubat Aris:
 Non ſua quî ſapiant pabula & obſtupuit.
Lumina ſi pergent ſic colluceſcere; Naïs
 Quæ fuerat, Te poſt auſpice, Pallas erit.

Id. Epig. CCLXXXII.

Non aſſueta vides Rerum ſpectacula: Vitro
 Degener incluſas quæ fovet, Unda, faces:
Sabero devota nitet quibus Ara; Cotates
 Tollit ubi aurato Templa coruſca tholo.
O quem Saberum memorem: cui juſſa, vel ignes,
 Quos odit, modò quos Unda peremit, alit?
Ergo ſi quis amas, ſat longum vivere flammas;
 Non oleæ, fontis ſuffice ſed latices.

Id. Epig. CCLXXXIII.

Vivere deſierat Franciſci Lychnus ad Aras:
 Nec quæ ſufficeret pabula, Pallas erat.
Franciſcum ſimul Æditunes ad vota vocavit;
 Cum ſubitò infuſâ flamma revixit aquâ.
Felix ſorte ſuâ, tanto felicior auſu;
 Eſt cui fas oleum perdere, non operam!

Solem plures per horas ſiſtit, ut iter habenti Clienti ſuo, diem producat.

Epigr. CCLXXXIV.

APpetit atra, tegens Nox omnia: nulla ſuperſtes
 Speſque viæ eſt: pronus præcipitatque dies.

Heu, quid agat? Charum Saberi ſupplice Nomen
Voce vocat, ſubitam ſenſit & Hoſpes opem:
Produxitque diem: Solemque affixit Olympo,
Ad nudi tantùm Nominis Imperium.
Imperio moviſſe ſolum mirabar; at uno
Plus eſt, Saberi nomine ſtare Polum.

Id. Epig. CCLXXXV.

Prona dies veteri nè occumbat, Dive, Clienti;
Præcipites Phœbum ſiſtere cogis equos.
Hæſit adhæc; ſeptemque jubar produxit in horas:
Finiit ipſe diem Sol, ubi & ille viam:
Inſuetaſque moras tulit. Anno tùm accidit uno,
Attonito triplex Æthere, Solſtitium.

Id. Epig. CCLXXXVI.

Ut cœptâ fas ire viâ, vix, Dive, vocaris;
Jam jam caſuram ſtare jubeſque diem.
Vivere juſſa, mori lux abnuit: indè ſuperſtes,
Et mergi metuens æquore, facta ſibi eſt.
Ad nomen ſtat fixa tuum. Quis credat? Eunti
Tam magni fecit Nominis umbra diem.

Id. Epigr. CCLXXXVII.

Occiduâ nè merſus aquâ, ſubitò caderet Sol;
Una tui tantùm Nominis aura vetat.
Obſequiturque dies: famulam Phœbuſque, vocanti
Franciſcum, præiens detulit ante facem.
Jam pudor eſt Orbis Solem dixiſſe: Tibi Sol
Ipſe ſubit famuli, Dive, miniſterium.

Id. Epigram. CCLXXXVIII.

Quiſquis es, ò Magni Saberi Cultor, eunti
Neſcia, nempè, mori eſt cui moritura dies.
Ipſe facem prono Sol ſiſtens Æthere præfert.
Caſta adeò nuſquam luce caret Pietas!
Ante mari, dederatque ſolo Saberius; unum
Hoc deerat, ſua nunc dat quoque jura Polo.

Bra-

Brachium ſacri Corporis, Goæ avulſum, non ſine miraculo, nec ſine ſanguine,
Epigr. CCLXXXIX.

EXanimum ferro petiit, tumuloque jacentem
Qui Te; quàm verè ferreus ille fuit?
Sanguine & hinc maduit: cecidit præciſa, tot aras
Illa, Deos quæ tot ſtraverat una, Manus.
Sic quod non potuit, tantas ultura ruinas
Impietas. Proh mirum! Hoc voluit Pietas.

Id. Epigram. CCXC.

Quod non Impietas, Pietas, mihi credite, fecit:
Immaduitque pius, ſat malè, cæde Chalybs.
Irrubuit roſeo Saberus rore: cruorem
Urna da , & vitæ munera funus habet.
Quòd non fudiſſet vivens, poſt funera fudit.
Nam quis, Saberum ſic voluiſſe, neget?

Id. Epigram. CCXCI.

Templa ter intremuere: Tholo ruere omnia viſa;
Audax ad vulnus dum movet arma Manus.
Ter conata Manus, ter et hæſit: Nempè, luendum
Iam jam præcipiti fornice credit opus.
Quæ vi non potuit, potuit prece. Paſſa ſecari eſt
Dextera: ſic votis annuit illa ſatis.
Franciſci jam, Roma, Manum cape. Fallor: in illâ
Franciſcus, fas ſit dicere, totus erat.

Romam dum deportaretur, à Batavis Piratis ſe miraculo tuetur.
Epigram. CCXCII.

INſtabant Pelago Batavi: prædamque tenebant,
Iam jam Luſiadûm Carbaſa tenſa Ratem.

 Non-

Non armis par iſta, pari non æmula curſu:
Iam ſpoliis Prædo ditior Hoſtis ovat.
Unius at Dextræ obiectu, impellentibus Euris
Fruſtrà; Abies medio fixa repentè Mari eſt.
Quàm valuit vivens hæc Dextera, diſcite: Fecit
Iſthæc in Batavos illa vel exanimis.

Id. Epigram. CCXCII.

Sat malè Luſiâdum fuerat tibi, Navis; aquarum
Prædones pavidam cum premerent Batavi.
Sed juvit, quam, Dextra, vehis, vix viſa: Trabemque
Velivolam fluidis ſtare coëgit aquis.
Hæſit & his immota: Ratem attonitamque, Rudẽtûm
Quod nulla egiſſent vincula, lympha tenet.

Id. Epigr. CCXCIII.

Mira vides! Utrique viæ non una Carinæ
Sors: tenet hanc; illam dum maris unda vehit.
Vela utrique tument: Euris volat iſta ſecundis;
Hæret at illa: eadem flans, ſimul aura reflat.
Luſiadæ volucres labuntur in æquore: at hoſtes
Jam jam capturos, ſe doluere capi.
Mortua Saberi facit una hæc Dextera. Quanta hæc,
Quæ mare, quæ ventos fingit ad arbitrium?

Id. Epigr. CCXCIV.

Sat benè, Luſiadæ, Batavos luſiſtis; opimæ
Queis veſtræ totiès præda fuere Rates.
Una minas, riſitque manus hæc una rapaces:
Quam pia, Franciſci Dextera, Gaza gravat.
Hujus ad aſpectum medio ſtetit altera Ponto:
Altera ſe facili proripuitque fugâ.
Ibat & illa Euris pulſa, ibat & omnibus undis:
Omnibus his contra reſtitit una Manus.

Id. Epigr. CCXCV.

Quæ tua Buſta tulit, ſcopulo Trabs hæſit acuto:
Sciſſa ſed hjs facilem ſaxa dedere viam.

De-


Dextera nè pereat tua, dum mare navigat, hoſtem
Incurrens; Hoſti Naias ire negat.
Par Tibi, Dive, duplex, in re ſed diſpare, Virtus.
Emollit lapides, & ſibi durat aquas.

Poetæ Anathema.

Epigram. CCXCVI.

IAm cape, quod famulo Tibi pendit Apolline, noſtra
Vectigal Domino dulce Thalia ſuo. (hæc,
Heroo dixere alii Te ſæpè Cothurno,
Dive; humiles at non deſpicis inde modos.
Plus niteant fulvo, Divis quæ ponimus, auro;
Sæpè minus non his lignea ligna placent.
Nempè, ubi cor dives; nulli eſt ibi Dextera pauper;
Sæpè animo fiunt maxima, parva manu.

FINIS LIBRI PRIMI.



EPIGRAMMATON
LIBER SECVNDVS.

Alter Sanctimoniæ Triumvirûm

FRANCISCVS BORGIA.

FRanciſcum Franciſco adjungimus, hoc eſt, Xaverio Borgiam: quem, altero ad Indos Miſſo, ut ad Chriſti fidem Indos adduceret; Hiſpanis alterum reliquit Deus, ut Hiſpanos ad Pietatis cultum erudiret: ſicque uterque Terrarum Orbis ſuo veluti Sole clareſceret: nec minùs hic Borgiâ, quàm ille Xaverio ſuperbiret. Habes in Borgia, Lector, ex hac Jesu Militiâ, non Militum quemlibet, ſed Ducem ipſum: immò Ducem ſimul, & Militem: id enim verò genus Militiæ militamus; cujus adminiſtrandæ cura ac ſolertia, nè Ductorem quidem eximit à militari opere, vel labore. Age jam, & utriuſ-

que

que muneris partes, numeris omnibus abſolutas, in Franciſco, ut in te exprimas, inſpice.

Triplex, eaque admodùm acris, triplici, nempè, cum Hoſte, fuit Franciſco pugna, quò clarior eſſet victoria, nec unâ tantùm mactus laureâ triumpharet. Prodiit primò in Solem ad umbram ſepulchri. Nemo veriùs Borgiâ deſcendit in pulverem, qui primum iniit certamen à tumulo: idque tantâ pugnandi felicitate, ut primum eidem fuerit ſimul, & ultimum; hoſteſque omnes uno tantum prælio profligarit. Uno egelidi Cadaveris aſpectu omnis in eo humanarum Rerum Amor, quas vulgò Mundi nomine nuncupamus, planè refrixit. Jamtum conjugalis vitæ voluptatibus ejeratis, incorruptibilium more Mentium, vitam vivere Caro cœpit in Borgiâ, cum putruit in Auguſtâ. Sepulchrales inter Iſabellæ Imperatricis faſcias, quà Hoſtis Inferni laqueis ſe ſe expediret, viam liber ſpiritus adinvenit: exinde cœleſtem vivendi rationem iniens, Phœnicis more, revixiſſe viſus eſt à tumulo, ac cinere, ſed alieno. In Principum ferè Aulis verſatus, ſed ita, ut Principum diceretur, & planè fuerit, Aulæque Miraculum. Ut enim è mari Piſces ſalis nihil, nihil omninò ex Aulicorum moribus Franciſcus hauſit. In illo vitiorum Euripo, inter blandas voluptatum conciliatriculas Sirenum illecebras, uni Crucis arbori alligatus, nullo enavigavit damno Innocentiæ, nullo etiam periculo. Suis vitia vicit in caſtris. In Principum Palatia Cœnobitarum mores, atque inſtituta, præiens ipſe, traduxit; exemplo ſuo docens, quæ jam ipſe calcaſſet, poſſe calcari. Hos inter Carolum habuit, Imperatorum ordine quintum, rebus geſtis, militari gloria, Imperatoriis virtutibus nulli ſecundum: ſed eo nomine jam omnium primum, quòd ultrò Imperator eſſe deſierit. Quid memorem, noctes

à Borgia, ſex, ſeptem, octo continenter horas, nec ſine lacrymis orando traductas? Quò ſcilicet fletu tam longo ſolum elueret, per longiſſimas verberationes priùs à sè ſanguine ſuo cruentatum. Quid, quam in ampliſſimâ fortuna Domus arctam, quæ ducit ad vitam, conſtantiſſimè tenuit viam? Quid, cum inter opiparas, quas aliis apponebat, epulas, ipſe ſederet propè jejunus; atque uno vel lente, vel olere victitaret? Nullo non aſperitatum genere in corpus, quò menti ſubiiceret, ſuum ſæviens, magnam Corporis partem amiſit. Extremam, nempè, redactus ad maciem, mole ſuâ minor, quam abdomine evacuaverat, conduplicata pelle præcinctus; edomiti, emuncti, & quodammodo enecti Corporis ſpolium, corio triumphans ſuo, præſetulit.

Hæ ſtrenui Militis partes: At illæ Ducis: quibus ſuorum Militum expeditionibus, vel refractarios Eccleſiæ Hoſtes ſub jugum miſerit, vel Chriſti Nomen, & Imperium, latè ad Occidentem dilatatis finibus, propagarit. Teſtes tot Chriſto additæ, Ducis noſtri operâ, ac ſolertia, Oceani maris Inſulæ. Teſtis Peruvia: quæ divites auri ſui venas, vero Numini jam vectigalis, ejus inaurandis ultrò Templis inſumit. Teſtis illa Hominum Voratrix nè, an Vorago? Braſilia, quæ execrata epulas ſuas, cũ cœleſti Chriſti corpore commutavit. Quid Mexicana Morum, dolorumque Barbaries? Quid Poloniæ adeò hæreſi corrupta Religio? Quanta utrobique, immiſſis Borgiæ copiis, hìc erroribus, illic ſuperſtitionibus illata clades? Quàm feliciter Franciſci auſpiciis, pro Jeſu nomine de Hoſtibus eſt triumphatum? Ultimum Othomanicæ excidium Lunæ parabatur: ſed jam ineunti prælium Duci, in Cœli Capitolium de triumphatis Hoſtibus decernebatur Triumphus: tantique Solîs ad occaſum, Luna rurſus enicuit,

Pal-

Palmarum itaque Dives, quas de triplici cujuſque noſtrûm Hoſte Miles retulerat, de Superſtitione, de Hæreſi, deque Barbaria, quas Ductor, tandē hìc obiit: at non hinc abiit. Durat adhuc, ac meliore ſui parte in hac Jesu Militiâ ſuperſtes, vivit adhuc, futurus nũquam non & Militum Exemplar, & Ducum: immò omnium, quotquot in Chriſtiana Republica continentur. Ut enim in Opalo Gemmarum omnium colores, ac veluti flores emicant: ut qualibet in Gemmâ contracta in arctum, Auctore Plinio, ſe prodit Naturæ Majeſtas: ita planè in Franciſco, nullo non virtutum colore, vel flore emicans, omnis ſe contraxit Sanctimoniæ Venuſtas: ut de eo meritò dixerit Clemens, eo nomine Decimus, Pontifex Maximus, Divos inter præter Borgiam fortaſſe fuiſſe Neminem: qui omnes omninò nobiles vitæ rationes, ad ſingularem Pietatem ſuis moribus informaverit. Ille, quippè Juvenes, Conjuges, Viduos, Principum gratiâ florentes, Aulicos, Principes ipſos, alieni Rectores Regni, Religioſæ vitæ Cultores, ſive Obſequio, ſive Imperio mancipatos, velut Exemplar è Cœlo delapſum, viam Sanctitatis edocuit. Hæc Pontifex. Age Lector, eo jam fruere. Quiſquis demùm es: quamcumque amas ſanctè vivendi rationem, habes in Borgia, ad cujus normam te fingas: quem tuis moribus exprimas. Divos inter par omnibus hic unus eſt.

Parenti, mox in partu unà cum Prole morituræ, Sacer B.Franciſci Cinctus ſubitam attulit incolumitatem.

Epigram. I.

HAud facilem Genitrix Lucinam experta; tenaci
Quà ſibi, quà Gnato viſcere fata ciet.
Stare ſed hæc juſſere rudi de cannabe Cinctus
Franciſci; moriens his ubi cincta Parens.
Indè ſalus: Mortemque ſimul cum Prole, ſoluta
Quam non fugiſſet, ſic quoque vincta fugat.

Id. Epigram. II.

Aucupis ore Manus mortem quæ dædala pinxit;
Non mortis vultum pinxit, at ingenium.
Namque Hominum vitas venatur callida. Non eſt,
Quem non in pedicas induat illa ſuas.
Exuit has ſed fœta Nurus: Fatique tenaces,
Aſſiſiâ eluſit Reſte ligata, manus.
Verte ſtylum tabulis, Pictor: quos, nempè, parabat
Mors aliis, Auceps incidit in laqueos.

Id. Epigram. III.

Borgia, nè Gnato timeas, Dux, neve Parenti;
Ægrius ut ſubeat fœta Puerperium.
Aſſiſii nam lina Patris; ſi penſa Sorores
Plura negent, vitæ ſtamina ſufficient.

Id. Epigram. IV.

Dura Homini ſors, heu! Tenui cui gaudia rivo:
Triſtia cui pleno ſæpiùs amne fluunt.
Borgioli ſpe læta Domus vix Borgias; unà
Matris & eſt Gnati funeris icta metu.
Aſt admota ſimul Franciſci Cannabis; ultrò
Ad partum duri cum patuere ſinus.
Sic benè, quæ rapto Mors ſueta eſt vivere; Furum
More, luit pœnas, pendit & ad laqueum.

Id.

Id.Epigram.V.

Dum longas traheretque moras, torqueret & Infans,
Non minùs,ac Matris viſcera , vota Patris;
Aſſiſio tunc fune latus circumdata,fœtu
Hic angi emiſſo deſiit,illa mori.
Namque mori cũ Prole Parens jam cœperat:heu!mox
Ipſa ſui pheretrum Pignoris,ac Tumulus.
Quidni par Divis fueris,Franciſce?futuræ
Tam ſanctum vitæ licia ſtamen erat.

Id. Epigram. VI.

Naſcere:Gandiaco radiat Tibi pulchrior oſtro;
Quàm matûtini murice Solis Eōs.
Vincla,Puer,jam rumpe tenacia.Te ne, futurum
Mox Rerum Dominum, vincula longa decent?
Naſcentem Faſces Proauûm Te , Teque Tiaræ;
Excipietque ſuo Cæſaris Aula ſinu .
Fallimur. Hic Puer haud capitur. Fac aſpera ab alvo,
Vilia fac videat Pauperis, exiliet.

Id.Epigr. VII.

Borgiolum ex alvo noſtra hæc prodire morantem,
Aſſiſias vitæ ad gaudia Zona trahit.
Scilicet,humanas jam tum Res oderat . Infans
Hûc veniens ſic,non is,puto,ſponte venit.
Omnia poſt calcaſſe ſtupes? Ubi,nempè,ſolutum
Se,juriſque ſui vidit,ab his abiit.

Franciſci Ortus, Poſteritas,Sanctimonia ab Iſabellâ ejus Amitâ, eximiæ probitatis Virgine, diu ante prædicta.

Epigr. VIII.

INdice quem Cœlo didicit , Præſaga futuri,
In ſpem mox Generis Te fore , Virgo docet:
Borgiadûm cui ſceptra Pater:qui Patris, Avique
Sceptra dehinc Gnato Tu quoque,Dive,dares.

At

At non ſera ſenex tua nec poſt funera. Præcox
Fortunæ funus ſponte eris ipſe tuæ.
Tā procùl hæc potuit quæ ſic prænoſcere, quanta eſt?
Hæc qui ſed poteras ſpernere, major eras.

Ejus vitæ Ratio in Aula Cæſaris, adhuc Iuvenis. Matronas Aulæ primarias non niſi aſpero indutus Cilicio, invisere conſueverat. Indè factum ut ad Conjugium Virgo acceſſerit.

Epigram. IX.

Mollia Te Serum circumdant Vellera: cultu
Aſpera tam molli texta quid indè tegis?
Auguſtique ſubis nunquam laris Atria; quin Te,
Quin fodiat, ſetis horrida, Zona latus.
Diſſimulas, ſimulas: bino es ſub tegmine duplex:
Iamne feres, qui ſis, dicier? Aulicus es.

Id. Epigr. X.

Aulica ſit Pietas: morem Aulæ callet, & artes:
Non ſua mentitus prætulit ora Rigor.
Horreſcunt intùs villis pungentibus Artus:
Picta foris Phrygiâ ſe Toga jactat acu.
Hic Aulæ Pudor, hæc labes. Qui, ſcilicet, Aulâ
Eſſe pius velit; aut exulet, aut lateat.

Id. Epig. XI.

Non hæc Hiſpanæ labes, non hic Pudor Aulæ.
Aut latuit ſcelus hìc; hinc procul aut abiit.
Una Throno Pietas regnans ſedet Auſtria. Virtus,
Ni lateat, ſibi quid Borgia, & undè timet?
Hoc ſibi, nempè, timet Virtus cavet uſque videri.
Semper tuta latet: ſæpè patens periit.

Id.

Id.Epigram.XII.

Officiis quæ culta tuis Matrona; prius Te
Aſpera quàm feriant vellera, nulla domi eſt.
Hinc Paphiæ vis pulſa Deæ: fugit illa Iuventæ
Vis inimica,necans uſque per illecebras.
Scilicet,indoluit,pede quondam ſaucia. Pungi
Atque iterum timuit,jam priùs icta Venus.

Id.Epigram.XIII.

Nè pateat jaculo: fœdique Cupidinis arcum
Sentiat,infixâ cuſpide, molle Iecur;
Mollia vulnifico cingis præcordia textu;
Viſere ubi Auguſtos imperat Aula lares.
Integer indè Tibi Pudor eſt: nam carpere ſpinis
Clauſa,rapax audet lilia nulla manûs.

Id.Epigram.XIV.

Pectus ab intexto ſetis præmunit amictu,
Quæ Te,Dive,coquit,cura Pudicitiæ.
Irrita fœmineæ vis hinc, & gratia formæ.
Quàm benè Tete,oculis nè feriare, feris?
Fœdus Amor Cyprio jacit hinc tela illita ſucco,
Arcipotens uno plurima & intuitu.
Frange,Amor ò,pharetram,Puer improbe, frange ſa-
Has ſi tam fragili ludere fas clypeo. (gittas;

Ad Aulæ, otiique fugam, vel ab Vrbe procul, Aucupio, vel domi ſacris precibus, muſicis modulis alligandis, vacare conſueverat.

Epigr. XV.

AVguſtam Caroli ſequeris dum Borgius Aulam;
Cur procul Aucupio multus ab Urbe vacas?
Obſtaret tua ni Pietas,quis dixerit:Aulæ
Borgius en mores diſcit ab Aucupio.

Au-

Aucupii ſed tu mores plus diſcis ab Aula.
Aula homines: hinc Tu fallere diſcis Aves.

Id.Epig.XVI.

Vincit verba modis,ſcitè modulatus: amicas
Borgius & ſylvas luſtrat ad Aucupium.
Muſicus ipſe domi eſt,idemque in ſaltibus Auceps:
Unus hic indè homines, & capit unus Aves:
Retibus has,illas concentibus.Ilicet,una eſt
Dextra,modos,& quæ retia ſæpè parat.
Retia qui cupias;modulos vitare memento:
Ah cave:& in modulis Retia ſæpè latent.

Inſignis ſui Victoria, à Falcone, jam jam prædam invadente oculos avertentis.

Epigram.XVII.

VIctor ubi Falco prædæ imminet: atque fugacem
Vulnificis audax unguibus urget Avem.
Suſpenditque oculos victrix jam laurea: toto
Cui par,nec viſu pulchrior,ulla Polo eſt:
Demiſſo ad terram vultu,libare vel uno
Alitis obtutu prælia,Dive,negas.
Improbus,heu,labor hic placetAucupis:una voluptas,
Hinc quam quæſieras,non placet Aucupii!

Id. Epigr.XVIII.

Aligerûm roſtro Pavor irruit,auſus adunco
Accipiter,medio bella ciere Polo.
Et nunc ſe toto circum rotat impete: nunc ſe
Excuſſi vibrans fulminis inſtar habet.
Miles, & ipſe ſibi Dux:unus & omnis in hoſtem:
Sive dolis,ſeu vi munera Martis obit.
Cuncta dat hæc Domino aſt, aliò ſi lumina torques,
Amiſit palmæ præmia,Dive,ſuæ.

Id.

Id. Epigram. XIX.

Lumina ſi torques aliò, Franciſce, volucrem
Arripiens prædam, Victor ut Ales ovat;
Venari jam mitte: oculorum Tortor eoſdem,
Ut magis excrucies, cur magis extimulas?
Sævit in infernis pœna hæc nam ſedibus. Illìc
Iam jam poturam deſerit Unda ſitim:
Atque famem fugiens pranſuram Menſa. Nefas eſt,
Una Reos, & par pœna, habeatque Pios.

Id. Epigram. XX.

Aucupio curas Aulæ dum Borgia mutas;
Aucupii Te ſolatia nulla levant.
Propoſiti Vir, nempè, tenax, Animique, Tuique
Ejuras oculi cenſor, & arbitrium:
Obtutumque negas. Uni Tibi militat Ales;
Quò pugnax Domino ſe probet ille ſuo
Heu, ſic indulges Tibi, & hæc ſolatia quæris!
Dic, cum ſævieris, plus Tibi quid facies?

Id. Ep. XXI.

Iſacidûm Rex Bethlæis è fontibus hauſtas,
Reiicit oblatas, quas ſitiebat, aquas.
Tu quoque, Dux, multo Tibi quam ſudore parabas,
Aucupiis dulcem reiicis illecebram.
Par utrique foret ſacto laus diſpare; longè
Sed plus eſt oculis, quàm dare jura gulæ.

Id. Epigram. XXII.

Prælia quis Cœlo docuit miſcere? Quis omnes
Pugnandi Accipitrem tàm benè noſſe modos?
Aggreſſuſque, fugaſque, aſtuſque, arteſque; tuetur
Se quibus; adverſas & quibus urget Aves.
Indè ſuo dives ſpolio, claruſque Triumpho,
In Domini rursùs vincula ſpontè redit.
Dive, ſtupes, tanto volucrem quòd ceperit aſtu?
Quòd Te non Ales ceperit, hoc ſtupeo.

Id.

Id.Epigr. XXIII.

Accipiter volucrem cum Cœlo invaderet hoſtem,
Vertere tunc aliò, Dive, ſoles oculos.
Aſpectuque caves Cœli. Mirabile dictu!
Quod facit Impietas:*hoc facit & Pietas!

Franciſci vocatio planè admirabilis ad Sanctimoniam. Rerumque omnium contemptum ex uno Imperatricis Iſabellæ, jam putreſcentis intuitu.

Epig.XXIV.

Borgiade, Auguſtam Regum illature ſepulchro,
Perge:quid, heu,vacuis quæris in exuviis?
Angeris:attonito par hæres: totus in imbrem
Solveris:& ſicco mox es ab imbre Lapis.
Miraris?Miſeri hùc agimur. Tabum:indè ſuperſtes
Vix Cinis eſt:illud nec ſatis, Umbra, Nihil.
Non hoc,quod video,miror;non hoc dolet,inquis;
Hoc,quod non video,miror:& hoc doleo.

Id. Epigram. XXV.

Miraris,Franciſce,doleſque;vides ubi Eliſæ
Nil in Eliſâ:ſic omnis Eliſa abiit!
Non prior ore Charis,primæ non gratia formæ,
Aut lepor; aut ſaperent, quæ propè mella, ſales.
Singula quæque Nurus alias fecere beatas;
Cuncta huic ſors dederat: cunctaque Mors rapuit.
Mene feram falli poſthac his? Borgia poſtquam
Hanc vidit,toto vidit in Orbe nihil.

Id. Epigram. XXVI.

Nil vidiſſe parum eſt:odit quoque cuncta:fugaci
Mox pede,calcato nudus ab Orbe fugit.

Seque

* *Declinaverunt oculos,ne viderent Cœlum.Dan.c.13.9.*

Seque Deo dicat:& reliquos huic ducere ſoles
Certus,inocciduâ ſe quoque luce beat.
Præſcia ſi noſſet Conjux hæc Auſtrias,illam
Credibile eſt citiùs vel voluiſſe mori.

Id. Epigram.XXVII.

Cur doleas,quòd,Eliſa,cito Mors Te metit ictu?
Quòd Tibi net triplex ſtamina curta Soror?
Namque tuam Chriſto dum ſe Dux ſacrat ad Urnam;
Dicèris vitæ nobilioris Eös.
Quid? Paris haud Orbi Reges? At gloria major,
Extinctam Divos Te peperiſſe Polo.

Id.Epig.XXVIII.

Ni Cœlo foret è Tumulo Dux natus Eliſæ;
Fama an Eliſam poſt,quæ loqueretur, erat?
Tecta jaceret humo,mutus Cinis. Ilicet,ipſis
Eſt ſua Nominibus Mors quoque,& Urna ſua eſt.
Borgiadæ debet,memori ſi pectore vivit:
Clara Throno fuerat : clarior eſt Tumulo.
Manibus ergo piis quî non gratemur Eliſæ?
Mortua nunc omnis, ni moreretur, erat.

Id.Epigram. XXIX.

Auguſtæ ſimul ac patuit ſemel Arca;fluentem
Ut tabo vidit Borgius,obſtupuit.
Hæccine Eliſa,inquit,mea Lux?Summa hæccine Rerũ
Linea?Votorum quæque erat & Domini?
Proh quantum letho licuit!Sors nulla diu ſtat;
Majeſtas hùc ſi,tantaque Sors abiit.

Id. Epigram.XXX.

Me jam non capient Rerum hæc mendacia, formæ
Non flos,non Dominæ deficientis opes.
Forma bonum, quo non aliud velocius ullum
Evolat: has pronis ſtat mage Phœbus equis.
Forma malum,quo non aliud violentius ullum
Enecat: hac ſævit Vipera dente minùs.

Æqua boni vis,æqua mali eſt:& viva venenum,
Quæ fuerat, fato ſuncta fit Antidotum.

Franciſcum porrectâ tunc dexterâ jacentem viſus erigere Chriſtus ; dum ſe ejus famulatui manciparet.

Epigr.XXXI.

REum ubi vana oculis ſeſe olli obiecit Imago:
Quàmque forent,uno vidit in ore, Nihil;
Borgius ante pedes jacuit JESU:Ille jacentem
Porrectâ viſus tollere velle manu eſt.
Hæc quò ſe tollet Virtus,cui Dextera dat ſe
Tota Dei?Cœlos*fecit & hæc digitis.
Tollet,ais?Quò jam ſe ſuſtulit! Huic, ubi cœpit,
Sic viſus ſummam eſt impoſuiſſe manum.

Id.Epigram. XXXII.

Multa moves animo: terrent Te plura:caducis
Nec quà,vel cupias,expediare,vides.
Illius hinc noctis lacrymæ,ac ſuſpiria:Votis
Indè laceſſito Lux Tibi lapſa Polo eſt.
Mentis & illa abiit Nox : æſtus & ille reſedit.
Dura paras animo plurima; nulla paves.
Scilicet,hæc tandem erexit Te Dextra:Rogantem
Quî non audierit,ſi dedit ante manus?

Id.Epigram. XXXIII.

Conſueras ſocios,Lojolâ,Dive,Colono,
Sæpè recens JESU dicere Prædiolum:
Plantula ubi fieres: Domino haud ingrata, recentis
Parva licet, nova quòd Plantula Ruris eras.
Jam quis eras,hac diſce manu,quâ pangeris.Arbor,
Non pangit Domini,ſit niſi lecta,Manus.

*Videbo Cœlos tuos,opera digitorum tuorum. Pſ.8.

Id. Epigr. XXXIV.

Eſt lacrymis pretium,lacrymis vis eſt quoq; utrũque
Hìc,ubi ſe Chriſto Borgia ſternit, habes.
Vis eſt: hac ſummo deductus ab Axe, jacentem
Erexit,ſuperos quo Deus ore beat.
Extenditque manum;nè ſcilicet ulla legenti
Fortè ſibi pereat Guttula; & hoc pretium.
Fecimus has viles; non has accepimus. Una hæc
Gutta Poli pretium eſt:ſæpè ſed illa perit.

Id. Epigram. XXXV.

Quæ,viſo Jesu digito,Tereſia,Amoris
Tota mades lacrymis: tota & ab igne cales;
Francisco gratare: Ducem Tibi Sponſus ad Aſtra,
Non exploratæ quem dedit eſſe viæ.
Diſce,quid huic Sponſi data fecit Dextera;viſo
Hæc Tibi ſi potuit poſt facere & Digitus?

Expenditur Caroli V. ſeceſſus,Imperio, Regniſque abdicatis Auctore Borgiâ.

Epig.XXXVI.

EXtinctæ ſpecies in Te quæ fecit Eliſæ;
Hæc eadem in Carolo Vox tua,Dive, facit.
Victor uterque ſui, nam ſeſe & uterque caducis
Abdicat: & nugas,ſomnia, nulla putat:
Imperio Cæſar, Titulis, Dux,cedis avitis:
Neutri quod rapiat Mors jam habet, ac Tumulus.
Poſſeſſis alii ſe attollunt, voſque relictis:
Fortunâ major ſic quoque quiſque ſuâ eſt.
Quàm potuit Mors,& Vox! Morte potentior at Vox
Eſt tua:quâ tanto in Cæſare Cæſar obit.

Id. Epigr.XXX VII.

Tot lotos ſacrâ Saberus Najade Reges;
Unum ſed Chriſto Borgia dat Carolum.

Par utrique tamen,numero licet impare,laus eſt:
Res pretio, haud numero quæque putanda ſuo eſt.
Terdeno nituit namque is diademate: in uno
Tot Chriſto Reges,ergo dat in Carolo.

Id.Epigr. XXXVIII.

Auguſtis ultrò ſpolias Te faſcibus: ultrò
Heu!tanto ſis de Rege repentè Nihil.
Utque Tibi,Cœloque vaces, Carole,abdis in arctum
Te,novus Imperii Transfuga, ſpontè larem.
Magnus es,hæc qui tanta potes ſic temnere:Tãta hæc
Temnere qui ſuaſit Borgia,quantus erat?

Id.Epigram. XXXIX.

Rex,ac Cæſar eras:nec Rex, nec Cæſar es: oſtro
Nam poſito,Carolus(nil ſuper)unus eras.
Nullaque mox Aulæ retines veſtigia:nullus
In Carolo Carolus poſteriore prior.
Neu pigeat: Minor ut ſceptro ſis; Major at Orbi
Es Carolus,quâm Rex,quâm modo Cæſar eras.
Utri plus debes?Dederat quæ Regna, Parenti;
An plus Borgiadæ,qui Tibi ſic rapuit?

Id.Epigram.XL.

Auguſto tua dum tumuit Frons inclyta cultu;
Mars etiam toto dum tuus Orbe tonat;
Æmula,Te contra pugnax, vis obſtitit : armis
Obvia ſe dederunt lilia ſæpè tuis.
At dum Borgiadem ſequeris;par ire ſequenti,
Non valuit Virtus ulla Tibi,aut voluit.

Id. Epigra. XLI.

Cæſaris haud miror partos ex hoſte triumphos:
Tot nec ſub gemino Regna parata Polo.
Quærere nam multis ea vi : quæſita ſed uni
Sceptra tot eſt Carolo linquere ſpontè datum.
Vicerat ante alios: poſito ſe vicit at Oſtro.
Quiſque ſui ni ſit,non benè Victor ovat.

Id.

Id. Epigr.XLII.

Capta ſuo cum Rege,diu vis æmula quondam
Ceſſerat Hiſpano Gallia tota Iovi.
Ceſſerat huic famulâ malè curvâ fronte catenâ,
Maurica Romuleo ſubdita Luna jugo.
Tantum Orbis Caroli vis vicerit: at Carolum,Orbis
Victorem,vincens Borgia major erat.

Catalauniæ Adminiſtratio pro Carolo V. per Borgiam: in quâ Graſſatores, quorum vis omninò terribilis, ac noxia, omnes egit vel in fugam, vel in furcas.

Epig.XLIII.

O Tia cui,Cives,cui Te,Catalaunia,debes,
Cui vitæ dulces,diſcere quæris,opes?
Borgius hic:oneri quem par vel Cæſar Ibero,
Ad tanti pondus ſuſtulit Orbis Atlas.
Nam quà Te ferres;nemorum Tremor, atq; Viarum
Obvia vim furax Turba,necemque tulit.
Accepit cladem,Tibi quam priùs intulit: hæſit
Captaque mox meritum ſæpiùs ad laqueum.
Sic Furum Venator,erat qui,nempè, Volucrum;
Venatu Dives nobiliore redit.

Capitis ſententiam,non niſi fuſis ubertìm lacrymis, ſubſcribere conſueverat.

Epig. XLIV.

S Vpplicio ſontes addicens Præſes, amaras
In lacrymas,& ſuſpiria totus abis.
Hoc dolet & Pietas,huic quod Ius imperat?An quòd,
In Te,quod tergat,lacryma nil habuit?
Noſco:nigrum dum Theta manus ſubſcriberet;ipſum
Tunc oculus, fletu ut deleat, illacrymat.

Id. Epigr. XLV.

Solveris in fletus; calamo ſimul atra cruentæ
Præfigenda necis littera, Dive, Tibi eſt.
Nam Rigor hinc trahit, hinc Pietas retrahitq; nocenti,
Scilicet, hæc & amat parcere, & ille vetat.
Heu, quid agas? Utrique tenax ſua Jura tueris;
Uni ſubſcribens, alteri & illacrymans.
In mores das ire novos utrumque: rigeſcit
Inque Reos Pietas ſic, Rigor & pius eſt.

Id. Epigr. XLVI.

Gutta Tibi nocui non funditur ulla cruoris,
Borgia; frons gemino quin tua fonte lavet.
Ipſa tuis madet à lacrymis; ubi picta nigreſcit
Lethiferæ ſucco pagina litterulæ.
Juſtitiæ mites ex Te ſic diſcimus Iras.
Das furtis laqueos, Furibus at lacrymas.

Pro ſingulis, in furcas agi juſſis, ad Aram fieri tricies de ſuo curat.

Ep. XLVII.

TEr decies, laqueo ſi quem Dux deſtinat; ultrò
Expiat hunc, diam quæ ſacrat, Ara, Dapem.
Deque ſuo vinclis Animos ſic exuit, igni
Quos cremat, ignitâ & compede Pœna ligat:
Hiſque brevem dat ad Aſtra viam. Quis crederet? Ipſa
Dextera quæ nectit, ſolvit & his laqueos.

Id. Epigram. XLVIII.

Flens Fures agis in reſtim: poſtquam egeris, auro,
Ocyùs ut pateant Furibus Aſtra, facis.
Deque tuo deciès ter Myſta litabat ad Aras:
Quiſque ſuo ſimulac furta cruore luit.
Et Cruor eſt ſua cuique Pecunia. Vilior auro
Sæpè utinam (Pudor heu) non foret ipſe Cruor!

Furi-

Furibus hũc ſed amas quoque tradere, Dive: ſuperſtes,
Nempè, cruor fuerat: Jam dederas lacrymas.

Id. Epigram. XLIX.

O Amor! O Pietas! Alieni es Criminis ultor:
Quod non abſtuleras, reddere cur properas?
Exolviſque Polo quæ, mos cui vivere rapto,
Turba hæc debuerat; fato ubi functa ſuo eſt.
Ah cave, nè Judex ſic jus malè læſeris: unum
Haud fas eſt crimen ſolvere velle duos.

Id. Epigram. L.

Addictorum laqueo Furum Proſopopæa.

Gens laqueo devota, meo dum Borgius unco
Dat fletus: Animis dat quoque largus opem;
Ultrices dolui minimùm tunc Criminis Iras:
Pœna Reis fuſi ſanguinis ipſa placet.
Viximus, heu! viles Animæ: ſed vilior Unci
A lacrymis pretium Mors habet iſta ſatis!
Multa Solo ſolvenda, Polo ſed plurima: ſtricto
Quàm benè ſic uno ſolvimus hæc laqueo!
Perge age, jam nodo fauces elide, ſatelles.
Spontè, pio tam ſub Iudice, jam morimur.

Pecuniam manè in Pauperes dividendam, ſuo obdormiſcentis capiti noctu ſupponere conſuerat.

Epigr. LI.

ANte cubes quàm, Dive; thoro ſupponitur Aurũ,
Subſidium miſeris; Lux ubi prima redit.
Indormiſque volens nummis: nempè, excubat omnis,
Una expers ſomni ſemper, Avaritia:
Dormit & inter opes Pietas. Non incubat Auro,
Dive, auro qui ſic incubat ille ſuo.

Id.Epig.LII.

Ante ſopor feſſis quàm noctu obrepat ocellis;
Quos pia det nummos Dextera,Dive,paras.
Subſterniſque cubans capiti: ſic ſtragula mollit
Dura;ſuo Pietas dum fovet alma ſinu.
Obtigit hæc nulli utilior. Sopitus opima
Lucra paras,alii quæ ſibi nec vigiles.

Eâ de causâ nè argenteæ quidem ſupellectili parcit, nec ſuis veſtibus.

Epigr. LIII.

FRangere vaſa jubet,loculos poſtquàm excutit omnes;
Ars quibus,argenti dat nitor & pretium:
Nempè,Inopum ſic cura coquit:Stipis indiga nè Plebs
Ulla abeat,ſeſe vel ſpoliaſſe juvat.
Veſte domum quandoque redit propè nudus:in ipſos
Sat meliùs fures,ſi cecidiſſet,erat.
Argento,loculis,nudatur veſtibus. Egit,
Quod vis nulla rapax obvia,ſolus Inops.

Admirabilis Borgiæ vel Conſtantia, vel Patientia adverſus Juvenem pugione evaginato Proregem aggredi auſum,ut loco cederet.

Epigr. LIV.

IN vulnus dum ſtricta,loco ni cederet, æſtro
Gandiacum peteret percita Sica Ducem;
Nulla ſui, aut Magni Majeſtas Cæſaris illum
Læſa agit,in nocuum vel levis Ira caput.
Edomitamque premens pede, Mens immota tenet ſe:
Sic animo victrix imperat illa ſuo.
Indè loco ceſſit,ſe Major, Victor & Iræ.
Ni ſic ceſſiſſet, vicerat ille minus.

Id.

Id.Epig.LV.

Intima ni perTe pateat mox Aula;minatur
  Supremam vecors en Tibi ſica diem.
Jam quid agis? Multo lateris Te milite Cuſtos
  Enſis obit:nocuum perdere,perge,caput:
Et jugulo ſcelus auſa manus luat improba; tantum
  Si ſcelus hoc uno ſat luitur jugulo.
Aſt ea non Tibi mens,Dive:imperterritus enſem
  Ore vides: vindex Cor nec ab igne calet.
Impavidum mirer? Quòd te non terruit Enſis,
  Hoc minimum eſt:miror, nulla quòd Ira movet.

Tunc temporis Crux è Cœlo ad Borgiam viſa eſt deſcendere.

Epigr. LVI.

DIſtricto Iuvenis cum Te,Dux,enſe petebat;
  Demitti ſummo Crux Tibi viſa Polo eſt.
Læſus honor num parva Viro Crux?Viribus Heros
  Quantus eras, cui Crux non erat iſta ſatis?

Id. Epigr. LVII.

Fallimur:haud geminâ premitur Cruce Borgius.Una
  Quæ de nudato,ſcilicet, enſe venit.
Enſis erat Crucis huic ſpecie demiſſus. In hoſtem
  Ni Cruce pugnaſſet;non,puto,Victor erat.

Inter Catalauniæ Proceres,opiparè apud ſe prandentes, ipſe ſolis herbis, uno vel legumine veſci ſolitus.

Id. Epigram. LVIII.

COnvivis,FRANCISCE,dapes apponis opimas;
  Quæ ſaperent,avidæ ſufficerentque Gulæ.
Sed Tu lautitias inter jejunus, eduli
  Vis olere,aut vili frangere lente diem:

Ap-

Digitized by Google

Oſſibus ipſa Cutis malè ſic rugoſa cohæret;
Ut ſacco claudi nuda vel oſſa putes.
Quique modi Dux uſque tenax; mirabile dictu!
Tam malè pelliculâ ſe tenet ipſe ſuâ.

Id.Epigr.LXIII.

Dive,ſitique,fameque quid,heu!te conficis?Aret
Quàm malè laxato jam cutis ipſa ſinu!
Hancque manu verſas,duplicas,hac cingeris.Eheu!
Hoc verè eſt corio ludere velle tuo.

Id.Epigr. LXIV.

Jejuno illudis noctuque,diuque palato:
Vix ſemel & puro,nec ſatis, amne bibis.
Hinc macies, hinc laxa rigens Cutis ilia circum
Voluitur:heu!nulli Zona ſueta Duci.
Ad Cœlum arcta via eſt:Mirum! Te latior ire
Ad Cœlum fecit tutiùs ipſa Cutis.

Eâ jam tum Sanctimoniæ laude floruit, ut Dux Sanctus, & Miraculum Principum appellaretur.

Ep. LXV.

AVlicus es: ſanctique Ducis ſed nomine latè
Diceris,Hiſpani quà patet ora Poli.
Aula novos in Te mores ſtupet,attonitæ par:
Miraturque ſuo,non ſua poma, ſolo.
Teque Ducum vocitat Miraculum.An Aulicus,Aulæ
Hoc eſt Miraclum, Dux ibi, nempè,pius?

Id. Epigr. LXVI.

Fallor.FRANCISCI laus hæc:cui viderat Aula,
Vel tugurj parvo ſub lare,nulla parem.
Lens & Olus cui victus:humi ſopor:& brevis horæ
Vix requies:pernox Mens propè fixa Polo eſt.
Nulla dies lacrymis,fuſo vel ſanguine nulla
Nox vacat: immixtus manat uterque late.

Ex

Eximia Franciſci Ducis officia Pietatis. Ac primò Deum orandi ſtudium.

Epigr. LXX.

CEntenis, FRANCISCE, Deum quin pronus adores
Dux vicibus, nullam fers Tibi abire diem.
Quin & humi appreſſis horas de more labellis
Uſque duas Te Lux ducere prima videt.
Ars hæc mira: ſolo plus hæres corpore; at hinc Mens
Plus tua ſidereo tollitur alta Polo.
Hæres ſic & humo. Diuûm non contigit ulli,
Qui ſic hæreat, & cui nihil hæſit humi.

Affligendi ſui Ardor inſatiabilis. Sanguis per acres longaſque verberationes ubertim effuſus, è loco nulla deinceps ratione delebilis.

Epigram. LXXI.

DVm flagris Te, Dive, feris, qui profluit, uber
Indè ſolum roſeo proluit amne Cruor;
Durat adhuc nullâ delebilis arte: cruoris
Has an humus, pretii conſcia, perdet opes?
Has quòd humus ſat avara tenet, nil miror; at illas
Quòd Tu profundis tam malè, miror, opes.

Id. Epigram. LXXII.

Non plagis parſiſſe, tuo nec, Dive, cruori,
Quæ vel adhuc rubet à ſanguine, clamat humus.
Nulla Tibi vitæ labes, ſed candida morum
Lux: heu! quid tanto ſanguinis imbre lavas?
Quàm Te te immeritum laceraris, diſce: vel ipſa,
Quæ facti fuerat conſcia, Terra rubet.

Id.

Digitized by Google

Id. Epigram. LXXIII.

Iamne doles, tanto Soboles tam digna Parente,
Fœdatos Patris ſæpè cruore lares?
Quem non ars potuit, quem non delere vetuſtas
Ulla, tegis? Tecto, crede, dolebit humus.
Divite vel ſaxo, ſolido vel ſtraveris auro;
Plus ſibi ſordeſcens his placet à maculis.
Nè doleas: aliis caveant à ſordibus Aulæ:
Non Aulas maculant iſta, ſed emaculant.

Id. Epigram. LXXIV.

Tecta nitent maculis vario celſa atria ſaxo:
Quæ ſi plus ſordent, plus quoque laudis habent.
Scilicet, iſta placent; maculoſi ut moribus intrent,
Nec ſibi diſſimiles ſæpè domos, Domini.
Strataque diſtingunt gemmis: capitique decori
Quæ fuerant, à faſtu ebria planta premit.
Has dives dat vena aliis: Tibi ſed, Carole, uni
E Domini venis eruta Gemma domi eſt.
Hoc maculata domus nil ſanguine ſorduit: ibit,
Si ſordet, Sol his pulchrior à maculis.

Cultus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ planè eximius. Indè ſingulare ejus Privilegium, ut latens in ea Chriſti corpus, ubique deprehenderet. ejuſdemque deferendi ad Ægros ſonum vel procul audiret.

Ep. LXXV.

Nulla mora eſt: de nocte ſopor nec Te ipſe moratur;
Indiga ubi diæ lux Dapis ægra vocat.
Præque facem tecum Aula ferens, comitatur edulem
Tota Deum: indè dies orta vel ante diem.
Præmia luce feres hac digna: Deique latentis
Eſt ubi Nox aliis, nil Tibi Noctis erit.

Id.

Id.Epigram. LXXVI.

Sæpè etiam Aucupio per agros procul Urbe vacantē,
Dum ſacra Campano præmonet ære Ceres;
Nulla quies: ſtimulis ſonipes volat actus acutis:
Et licuit votis ſic Tibi poſſe frui.
Amiſſæ pretium eſt prædæ, eſt quoque gratia: veſci
Nam quid par fuerit Numinis Aucupio?

Id.Epigram.LXXVII.

Aucupio caperis;ſed non ſic, Dive, teneris,
Quin, ubi dia Ceres Te vocet,ire velis.
Illicò Te recipis:prædamque oblitus, & acres
Accipitrum pugnas:quas feris inter Aves.
Magna oculis merces:pugnax quòd ſpernitur Ales,
Viſa capi;captus ſe Tibi prodet Amor.
Namque ubi triticeis ſe vinclis vinxerit; uni
Ut pateant oculis hæc ſua vincla,dabit.

Id. Epigr. LXXVIII.

Auribus eſt vis mira tuis:qua,ſcilicet,audis,
Tinnula vox pulſo vel procùl ære ſonet:
Summa dies Ægris divinæ ubi fercula Menſæ
Poſtulat,extremæ ſubſidiumque viæ.
Mira tuis quoque vis oculis, FRANCISCE: latentem
Fruge Deum,ſua plus cum tegit ora,vident.
Ergò quod audiri haud potuit, quidni audiat Auris;
Si fas eſt oculis,cernere quod latuit?

Id. Epigram. LXXIX.

Hìc ubi ſe celat, nullo licet Indice, Numen
Mentito Cereris Borgius ore videt.
Audit & is,procul ære ſonans,ſi quando ſupremam
Lux veſci languens Numinis urget opem.
Mira fides!Una hæc,unique parata palato eſt;
Auribus, atque oculis quî ſimul Eſca ſapit?

Id. Epigram. LXXX.

Ipſe ſibi eſt oculatus Amor: quæ velat Jacchus,
 Quæque Ceres, oculis abdita, cernit Amor.
Quàm falſus, cœcum quiſquis vulgarat Amorem!
 Cœcus is, & veri neſcius ipſe fuit.
Velatis Amor hùc oculis collimat. Amanti
 Nil vela officiunt, ſcilicet, ut videat.

Id. Epigram. LXXXI.

Sunt quibus ore patet Deus (ò ſors!) ſemper aperto:
 Semper & occulto ſunt quibus ore latet.
Cœlicolûm ſors illa, premunt qui Sidera greſſu:
 Noſtra hæc ſors, luteo quæ pede calcat humum.
In Te conveniunt, ſeque ambæ in fœdera jungunt,
 Te Deus & latet hìc: hìc Tibi & ipſe patet.

Id. Epigr. LXXXII.

Magnates vocat Aula, tegi ſemel obtigit unis,
 Hiſpano coram queis Jove poſſe caput:
In Te cur memorē decora hæc, FRANCISCE? ſat impar
 Hæc eſt Gandiaco gloria, nempè, Duci.
Coram Rege operis quòd Te, Tu Magnus Ibero es:
 Quòd ſe Regum aperit Rex Tibi, quantus eris?

Gravi admodùm lethargo decumbens; appetente tan tummodo ſumendæ horâ Eucharistiæ, ſui compos illicò, evigilat.

Epigram. LXXXIII.

Exanimo par, Dive, jaces, altoque Veterno
 Obrutus: inque thoro es, non ſecus ac pheretro,
Aſt ubi dia Ceres propior; mox dulcia lucis
 Ad conſueta redis munera, & evigilas.
Mira fides! Mens, ipſa ſui licet impos, amicam,
 Quæ nec ſe ſentit, ſentit & illa Dapem.

Hæc

Hæc tua vel Pietas, Dapis aut ſapor? Ilicet, olli
Quàm ſapit hæc, cui nil dum ſapit, Eſca ſapit?

Id. Epig. LXXXIV.

Mentis inops, rerumque, Tuique oblitus : & ullâ
Non expugnandus, quem tenet, arte ſopor,
Borgius, heu! langues: ſacræ ſed fercula menſæ
Quæ Tibi fert, mentem hæc & ſimul hora refert.
Illicò Torpor abit: reduci nec membra Veterno
Ante ligat, quàm Te cœlite fruge beas.
Quis ſopor hic? Lethi, cave ſis, hunc dicere Fratrem;
Jejunam vitæ nec tulit ille famem.

Id. Epigr. LXXXV.

FRANCISCO, fateor, timui; Lethargica ut ægrum
Vis lethi urgeret præcocis ad tumulum.
At poſtquam ſacræ vidi Miracula menſæ;
Mox timor ad tantum deſiit Antidotum.
Scilicet, huic timeam? Procul it Mors territa; quando
Non tulit hanc, lethi eſtqui ſopor umbra, dapem.

Orantem pro Eleonora Conjuge, graviter decumbente, è Cruce Chriſtus alloquitur.

Epigram. LXXXVI.

COnjugis ut mortem avertas, de ſtipite ſupplex
Procidis appenſi Numinis ante pedes.
Audiris: votique ſimul ſic compos, ut ægræ
Seu Mors pro voto ſit Tibi, ſive Salus.
Dive, manu jam fata tenes. Proh quantus es; unum
Quem penes eſt Vitæ, Mortis & arbitrium!

Id. Epigr. LXXXVII.

Ut lubet, Uxor erit, letho vel proxima, ſoſpes:
Scito, tuâ haud è re ſoſpes at Uxor erit.
Libertas iſto veniet de funere : Eliſæ
Auguſto cœpit quæ prius è tumulo.

Indè Deo totus vives;ſimul atque,maritus,
Mors rumpet, quâ Te compede vincit Amor.
Magna Polo parient hæc Te duo funera. Sic eſt.
Non poterat Probitas tanta minoris emi.

Aliàs,& quidem pluriès,orans Chriſtum audiit, è Cruce ſibi reſpondentem.

Epigram.LXXXVIII.

Confixi quæ culta Dei Tibi pendet Imago,
Vocales ajunt ſæpè dediſſe ſonos:
Pronus ubi,fletuque madens ſatis ubere,& altùm
Ingemis,& per ſuſpiria multa rogas.
Sic alios,quos æqvus amat Deus, audit: honoret
Quò Te præ cunctis,audit,& alloquitur.

Id. Epigr. LXXXIX.

Borgiaden,exangue Crucis jam funus,Jēsu,
Ferali pendens de trabe,ſæpè vocas:
Ad ſacros ſimul ipſe pedes proſternitur:ac Te,
Effuſis gemino è fonte lavat lacrymis.
Elicuit vocem elingui licet Icone:quid poſt
Non ex Te eliciet Borgia, ſi qua petat?

Id.Epigram.XC.

Eſt mihi fixus Amor durâ meus Arbore; qui me
Multa,vel exanimi pendeat ore,monet.
Audiit orantem:docuit me ſæpè rogatus:
Sic voce elinguis,ſurdus & aure valet.
Chaoniæ quid vana tument oracula Quercus?
En mihi,ſed veri Nuncia,Planta domi eſt.

Id.Epigram.XCI.

Borgia,ſi quà rogas, fixi trabe Numinis Icon,
Vocales patulo protulit ore ſonos.
Lignea ſit; reſponſa tamen quò redderet; ultrò
Ignotis didicit non ſua verba modis.

Dive,

Dive,age,& uſq;petas:habet hæc,quò Te audiat, au-
Os ſi,quò Tecum muta loquatur, habet. (res;

Principatu ingenti cum gaudio abdicato,
Et in Carolum filium, præ dolore illacrymantem, collato,
Societati Jeſu voto addicitur.

Epigr.XCII.

BOrgiadûm fortunam omnem ſic exuis? Et quam
Sæcla laborarant,auferet una diès?
Hæc facis,& riſiſſe juvat:nempè, unus in Orbe es,
Linquere cui ſimul hæc omnia, riſus erat.
Non ſic Aula:Idem,ſceptro ſuffectus avito,
In fletus,ac ſuſpiria Gnatus abit.
Quàm fallax Rerum facies!Mortalia riſum,
Sic eſt,miſſa creant: parta creant lacrymas.

Id.Epigr.XCIII.

Me Proauûm Genus,& Tyrio benè potus aheno,
Me nitor,& Caroli dixerat Aula Ducem.
Marchio jura dedi Populis, mihi jure ſubactis:
Antiquo ſedi clarus & Imperio.
Auguſtuſque Nepos Regum,Hiſpanæ Arbiter Aulæ:
Magnus Eques, Magni Cæſaris ardor eram.
Sed me Dius Amor decora ad Majora parabat.
Non ſumus hæc.Proh quantum decus!Hæc fuimus.
Cui Deus hanc vulgò Dominam dat temnere Rerum;
Fortunæ Dominum dat ſimul eſſe ſuæ.

Id.Epigr. XCIV.

Hiſpanæ illecebras Aulæ, ſpem Cæſaris, amplas
Borgiâdûm, felix Transfuga,ſprevit opes;
Ut Lojolæo Dux ſyrmate ſe abderet, ipſi
Imperio præhabens vile Miniſterium.
Sic eſt:Non opibus,non ſanguine venit,& Oſtro:
Una eſt hæc Animi ſpernere Nobilitas.

Id. Epigr. XCV.

FRANCISCOS dedit alma duos Hiſpania Mater,
Virtutum Herões laude & amore pares:
Diſcrimen Lojola Parens. Ni fecerat; Orbis
Eõi neuter Sol, vel uterque foret.
Conſultum ſic eſt Mundo: nempè, Alter Eöis
Sol datus, eſt Populis Alter & Occiduis.

Cum de Religioſâ Franciſci Vità omnia perſequi immenſum propè ſit; tria tantummodo hic expendere in animo eſt: quibus veluti fundamentis ejus Sanctimoniæ ædificium niti viſum. Ac primò quidem.

Crucis Amor inſatiabilis, ſuique, quàm poſſet maximè, affligendi ſtudium. Indè Humerorum fœdæ adeò lacerationes, ut computruerint.

Epig. XCVI.

TAm fœdè incuſſo laceras Te verbere, ut uno,
Dive, Tibi totum vulnere Corpus hiet.
Perque cruentatos iteratis ictibus artus,
Nil eſt quod ferias; vulnera at ipſa feris.
Sævitiæ fuerant iſthæc ſatis: aſpera amanti
Sed Tibi pœnarum nulla fuere ſatis.
Vulnera namque ſinis putreſcere: ſcilicet, unus
In Te, quo pejus nil facit Urna, facis.

Id. Epigram. XCVII.

Una quod Urna alios, cogis Te, Dive, vetuſto
Saucia dum putrent ulcere Membra, pati.
Fata præis: vivens & adhuc à funere ſortem,
Mortua quam ſubeunt Corpora, ſpontè ſubis.
Pœnarum novus hic Amor eſt; ſic vivere, lethi
Ut poſſis pœnâ poſteriore frui.

Id.Epigram.XCVIII.

In tabem,vermeſque abeunt dum vulnera;corpus
Diſcis in exanimum,Dive,quid Urna parat.
Ferre ſatis num vita negat?Tune illa, ſepulti
Quæ non ſentimus, præcipis ante diem?
Venturique procùl properas ſuprema ſepulchri!
Sævitiæ ſeſe miſcet & Ingenium.
Vox fuit illa(Mori ſe ſentiat)una Neronis:
Tu ſentis etiam à funere,qualis eris.

Temporum, Cælique intempeſtatibus omnibus ultrò ſeſe obiicit.

Epigram. XCIX.

ÆStivo ſub Sole diu Dux perſtat,aperto
Excipiens calidi Sideris ore jubar.
In latices totus,longoque reſolvitur æſtu:
Tantaque nec Phœbi frigerat unda facem.
Nè doleas:Mox ille Malo faciet ſatis.Alſit
Cœlum ubi;ad hibernas ſtabit & ille nives.

Id. Epigram. C.

Hæc pejor Medicina malo eſt. Tremit ille nivali
Sub Jove,torrentes qui tulit ante faces.
Unus & indè dolor geminatur:Nulla dolendi
Huic ſaties : geminat gaudia Pœna duplex.
Cernis,ut immoto perſtat pede: it obvius ultrò;
Seu Sol illum æſtu,ſeu nive pulſat hyems:
Blanditiaſque vocat Domini ludentis.An olli
Quis par,cui ferre hæc omnia ludus erat?

Quas appellat pœnarum ceſſationes, & otia?

Epigram.CI.

OTia,Dive,vocas ceſſantis;Corpus acutâ
Si quando,inflicto vulnere, figis acu.

Vellere ſæpè pilos mos eſt, & ſæpè capillos,
Indè, ubi ſenſus & eſt acrior, eſtque dolor.
Hæccine Pœnarum ſunt otia? Parcere ſivis,
In Te, nil parcens Borgia, ſemper agas.

Id. Epigram. CII.

Spontè cadens noſtro nullus de vertice Crinis,
Nempè, fides nutet * nè tua, Chriſte, perit.
Aurea ſed capiti coma mox divulſa redibit,
Nexa coronali pulchrior à radio:
Invidiam Stellis, Soli facturaPudorem
Lucè ſuâ: haud periit ſic, Coma quæ rediit:
Pro Jesu jam, Dive, pilos, jam velle capillos:
Si facies; nullus non Tibi ſoſpes erit.

Iniectis in Calceos ſcrupis, pedes, podagrâ adhuc laborantes, ambulando cruciat.

Epigr. CIII.

CAlceus, iniecto graderis dum, Borgia, ſcrupo;
Suſceptum morſu perpete tardat iter.
Nulla Tibi à pœnis das otia? Vulneris expers
Si pes non doleat, non ſatis ipſe doles.
Ægriùs hinc ageris, quò plus Te punxeris: & plus
Incœptum lento ſic pede carpis iter.
Fallimur. Ad Cœlum ſic itur & ocyùs: illùc
Quò quis plus dolet, hoc plus agit ille viæ.

Id. Epigr. CIV.

Iniicis in Caligas ſcrupos, podagrâque dolentes,
Duriùs, heu, cogis, Dive, dolere pedes.
Vulſa coma haud ſatis eſt: plantas nam cote cruentas;
A capite ad calcem totus ut hinc doleas.
Innocuo malè Dextra Viro ſit noxia. Poſthac
Ut benè ſit Podagræ, Dive, precor Chiragram.

Id.

* *Capillus de capite veſtro non peribit. Luc. 21.*

Id. Epigr. CV.

Impingit gradiens Pes,hæret, ceſpitat: olli eſt
Nil,quod inoffenſam non neget ire viam.
Cauſa latet, plantis ſubſtrati , nempè, lapilli :
Sic pede preſſa,pedem dum ferit,ulta ſilex.
Cur Pes offendat, noli jam quærere. Quid ni?
Incurrit gradiens,ſcilicet, in lapides.

Catapotia, amariſſimaſque Potiones ſorbillando, perque os diu volutando,exhaurire conſuerat.

Epigr. CVI.

PÆonios latices,& amaro Pharmaca ſucco,
Formidata diu pocula mixta Gulæ,
Hæc modo ſorbillat, modò pleno glutit & hauſtu
Borgia;quò totam guſtet amaritiem.
Quàm ſibi poſſe dedit Virtus,quàm velle! Palato
Huic ubi non ſapor eſt,Toxica ſi ſapiunt?

Id.Ep.CVII.

Pharmaca ſi qua Medens parvum denſarat in Orbem;
Ore diù verſat Borgia, dente terit.
Nempè,cavet, ſibi ne pereat pars ulla: gulæque
Has amat illecebras: & vetat eſſe breves.
Non ægro hi mores ſtomacho,ingeniumque palato;
Poſt aliâ,Pæon,fas erit ire viâ.
Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci:
Fallor:amarum huic qui miſcuit, ille tulit.

Id.Epigram.CVIII.

Lambere mox cyathos Tibi mos eſt, Dive;Machaon
Pocula ſi qua malis miſcet amara tuis.
Hæc nova pœnarum Ingluvies:quæ,nempè, guloſus
Vix faceret, ſævè ſobrius ipſe facis.
Virtuti Vitium totiès illuſerat ore :
Jam Vitii Virtus luſerit ore ſemel.

Quid quod? Magnarũ hoc pretium eſt, hæc gloria Re-
Os Vitii Virtus non niſi ſumma refert. (rum:

Medicamenta adhibet, ad morbos ſibi creandos, augendoſque.

Epig. CIX.

BOrgius, heu! Languet: ſuccos huic prome ſalubres,
Quiſquis, Apollineâ clarus ab arte, ſapis.
Ah cave, non ea mens Ægro. Indulgere medendo
Vis? Fac plus medicis artibus, ut doleat.
Una ſalus, ſi nulla ſalus, quis crederet? olli eſt:
Si valet, ille dolet: ſi dolet, ille valet.

Gravi admodùm Cancro os ejus computruit, ex diuturno orandi modo, per plures horas vultu Terræ admoto. Indè Dentium lapſus, & gravis ſpiritus fœtor.

Epigr. CX.

OMnia dvm Jobo pereunt, Res, Pignora, Carnes;
Integra ſub tantâ clade labella manent.
Vis Erebri labris* & Styx inimica pepercit;
Neu nimis, heu, mutus creſceret ore dolor.
Non ſic Borgiadæ, Cancro cui ſaucia. Diuûm
Plus in ſe Pietas, quàm Stygis Ira furit?

Id. Epigram. CXI.

Os poſtquam fœdo computruit Ulcere; dixi,
Oſcula FRANCISCO ſic ſua penſat humus?
Deturpatque Ducem: ſemeſaque labra, revulſis;
Tabe ſcatens, ſpoliat dentibus orta lues.
Non flos, non oris Majeſtas illa: priorem
In Duce ſic fruſtrà eſt quærere velle Ducem.

At

* *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. Job. 19.*

At non indè queror: ſit & os vel fœdius. Omnis,
Scilicet,*huic fœdo venit ab ore Decor.

Id.Epigr.CXII.

Fœda Duci labes corruperat ulcere vultum:
Et pavidis gravior naribus afflat odor.
Sæpiùs aſt olli Cœli lux ora coronat:
Ipſa etiam redolent Buſtaque Seplaſiam.
Æqua operi merces: decor ori redditur:olli
Os oluit malè,dum viveret; Urna fragrat.

Ex amore patiendi, quidquid alii malorum ferrent, uni ſibi exoptat, ipſas etiam Animarum expiatrices in Purgatorio pœnas, ſed citra culpam.

Epig.CXIII.

POne modum votis; Quò Te tuus abripit ardor,
In Te trux?Votis,Borgia,pone modum.
Si qua premant alios,triſtaris:& omnia mens eſt,
Quæ cuncti,ſolum Te mala velle pati:
Atque doles; multâque Deum prece ſæpè fatigas:
Inſimulaſque piæ ſemper Avaritiæ.
At malè avaritiæ inſimulas:tete ipſe, malorum
Cui ſaties nulla eſt, argue, Dive, gulæ.

Id. Epigram. CXIV.

Te ne Hominem rear? Humanis quàm diſſona votis
Vota,quibus fuerant aſpera nulla ſatis!
Ingenio nec ſi qua Furor molitus,& ipſâ
Si qua manu,pejor Tigride, Barbaries.
In votis, quæ dia pios in crimina Manes
Inquirens,acri concremat Ira Rogo,eſt.
Non hoc Orbe ſatis pro voto pœna; ſatiſne
Ex alio,ut doleas Orbe petenda fuit?

Id.

* *A fœdato, hoc eſt, per mortem Iſabellæ vultu.*

Id. Epigr. CXV.

Ingluvies,non iſta fames,Francisce,malorum eſt;
Luſtrales alio quæ petit Orbe Rogos.
Ex alio petit Orbe, famem queis vellicet, Orbis
Inſatiata ſui ad fercula , luxuries.
Par utrique Gula eſt: alioque ex Orbe petitas,
Altera amat pœnas, altera delicias.
Virtuti quantùm licuit! Morem hauſit ab ipſis
Vel vitiis; Virtus ipſa nec eſſe ſinit.

Id. Epigram. CXVI.

Queis vindex Animos Deus expiat, expetis ignes:
Quoſque pavent alii, Tu tibi,Dive,rogas.
Pœnarum ſic urget Amor?Votiſque peragras
Extra Orbem, votis quò potiare tuis?
Ah pudor eſt,Pietas ni voto eat,inquit:in Orbem
Nonne alium præceps re ivit Avarities?

Id.Epigr.CXVII.

Componitur cum D. Xaverio.

O fauſtum ſociis Nomen!duo fulmina,Jesu
Quæ ſacra , & verè Cœlica , Militiæ,
Francisci!Virtute pari,quàm diſpare vobis
Senſu,quæ mos eſt fundere, vota ſonant?
Ad Cœli illecebras, Satis eſt,ait Alter:at Alter
Pœnarum ad duras,Non ſatis, uſque Cruces.
Plura pati,Sabere,petis: non plura petebat
Borgia:Mens huic eſt omnia velle pati.
Omnia velle pati, facere ac ſimul omnia,rarum eſt:
Pro Jesu Tu fac omnia,& ille ferat.

Quæ

Quæ ſint verè Crucis Chriſti fruſtula, divinitùs manante dehinc ex iis ſanguine, dignoſcit: mutui inter Crucem, & Borgiam amoris argumentum.

Epigr. CXVIII.

QUæ diæ ſint fruſta Crucis, nullo indice, noſcens
 Cœlitùs illapsâ Borgía luce, docet.
Ipſa latens oculis Crux ſe detexit amicis:
 Nempè, Crucem fas eſt noſcere, ſi quis amat.
Crux, & Amor benè ſe norunt: Cruce nam ſine Amãti
 Nullus Amor: nulla aut Crux ſine Amore ſapit.

Id. Epigr. CXIX.

Bina vides quæ fruſta, licet diverſa, coloris
 Quæque ſui, haud oculos fallere viſa tuos.
Indè mones uno Crucis hæc de ſtipite: clavis
 Fixus ubi, caſſus luce, pependit Amor.
Tunc Cruor ancipiti fluxit de fragmine. Cur hoc?
 A Te deprenſum, ſcilicet, erubuit.

Id. Epigr. CXX.

Crux, inquis, deprenſa rubet? quàm falleris? Index
 Ipſa ſui, roſeo ſe mihi rore probat.
Stillat adhuc: rivoque madet ſatis ubere: Tantum
 Divini Crux tunc ſanguinis ebiberat.
Sanguinolenta Crucis miraris fruſta? Deum eſt plus,
 Hac ſuper exanguem ſic potuiſſe mori.

Ali-

Alterum planè eximium in Franciſco fuit, ſumma Animi Demiſſio, ſuique Deſpectio propè incredibilis: quâ Divos inter quadam virtutis prærogativâ eminere viſus eſt. Quo in argumento ſic ludebamus; Et primò quidem de Romanâ Purpurâ ſeptiès Franciſco obtruſâ, & ſemper reiectâ. Age ſis.

Ep. CXXI.

QUi totiès, latio florentes Murice, veſtes
Reppulit; hunc ſolitis neu cane, Muſa, modis.
Hoc tot ab igne calent Homines: perſtringit honora
Tot lux hæc oculos: nec capit illa Ducem.
Illa rogat: negat iſte. Pati non ſueta repulſam;
Se ſperni ut vidit, Purpura plus rubuit.

Id. Epigr. CXXII.

Plus rubuit, roſei Caput hoc quòd ſæpè Galeri,
Sæpè petita, petit Vitta nec aſſequitur.
Certatum eſt utrinque diu: illinc Gratia Regum:
Sacrorum, Cura hinc eſt quibus una, Patrum.
Sed fruſtrà. Flagris contra, vel ſanguine vicit.
Borgia: quo, lacera jam cute, membra natant.
Sicque cruore rubes, nè Murice, Dive, ruberes,
Cui nam vel tanti Purpura parta ſtetit?

Id. Ep. CXXIII.

Coccina Romulidûm, totiès obtruſaque, Patrum
Dum fugis, heu! fuga fit jam Tibi nulla ſatis.
Jam quid agas? Multo ſcindis Te verbere: multo
Vulnere ſciſſa, ſuo terga cruore madent.
Sic plagis, fuſoque datum, Franciſce, cruori eſt,
Obſcurum in vili ſyrmate poſſe mori.
Rebus ab humanis cui par fuga contigit? ipſam,
Coccina quàm indueres, exuis antè cutim.

Id.

Id. Epig. CXXIV.

Purpureo dum Roma Choro Tete; addere, totã
Quæque Tyro totiès pota, Lacerna cupit.
Ipſe lates procul Urbe, ſuo ſic illa Galero
Quæſitum, ut nequeat jam reperire Caput.
Fac reperiſſe; quid hinc? Quam detulit Æthra Thiarã
Rejecit: capiet, quam ſibi Roma parat?

Mitram pretioſiſſimam, ſeptem ipſos dies ſupra Caput orantis è Cœlo pendentem, ſuſpiriis, ac lacrymis eſt ſibi tamdiu deprecatus, ut exoraverit, eademque evanuerit.

Epigr. CXXV.

ESto, Dive, Parens Tibì quod dat Iberia, vites:
Et quæ Virtutum Præmia Roma parat;
Non queror. At fabro venit quæ pendula Cœlo,
Quòd caveas, gemmis Mitra coruſca, queror.
Ah cave: namque Polo miſſis quis honoribus auſit
Subduxiſſe ſuum, vix ſine labe, Caput?
Sed ſine labe Caput ſubducis, Dive: tuaſque
Ad lacrymas, ac ſuſpiria Mitra fugit.
Hinc quis jam tumeat? Quantũ his in Rebus inane eſt!
En lacryma, ut pereant: en levis aura ſat eſt.

Id. Epigram. CXXVI.

Septenos demiſſa dies medio Axe, pependit
Orantis ſupra gemmea Mitra Caput.
Luce oculos tenet illa: Ducem at plus omine terret:
Omen at hic lacrymis, ſuppliciiſque fugat.
Quæque aliis ſunt vota, timet ſibi. Borgius ipſos
Expavit ſuperos, hæc ubi dona ferant.
Nũc ſcio quid ſit Honos, Res anceps, plena pericli eſt.
Undè undè adveniat; qui ſapit, ille cavet.

Id.

Id. Ep. CXXVII.

Quæ Mens, Borgiadæ? Quis tantus & horror honoræ
Sortis?& ab latiâ quæ fuga tanta Tyro?
Accipitrem timidæ non ſic fugere Columbæ:
Non ſic infeſtos odit & Agna Lupos.
Non odium eſt, ſed honoris amor: Vileſceret, inquis,
Si meus: & fieret non honor omnis honor.
Tene feram? Te deque loqui ſic, Borgia? At expers
Pene ſui eſt honor, eſt, Te ſine, nullus honor.

Quotidie à Rebus omnibus, vel viliſſimis, undè ipſe erubeſceret, expiſcabatur.

Epigram. CXXVIII.

NIl adeò toto ſordeſcit in Orbe, nocetque;
Quin de Te doleas: Te pudeatque tui.
Præ Te Muſca tumet·præ Te nec Vipera mordet:
Præ Te nec caudâ Scorpius ipſe nocens.
Quòd de Te ſentis malè ſic, benè ſentiet Orbis:
Non poterat pejùs plectere læſus honor.

Id. Epigram. CXXIX.

Hoccine ſat? Nam quò potuit demittere ſe plus,
Præ parvo, aut nocuo Borgia Vermiculo?
Reſtat adhuc: quò ſeque magis demittat: Inane
Ipſum adit: atque ibi ſe repperit eſſe Nihil.
Me Nihilum! ingeminat: metas ſic tranſilit; ambo
Quas ſtatuere, olli nomine, nempè, pares.
Alter nāque Minor, Minimus quoque dictus & Alter:
Hic Minor & Minimo eſt Borgia, nempè, Nihil.

Hoc de argumento Theſes confuſionis dictas, exſcribit, & publicè diſputat.
Epigram. CXXX.

VT vacuas Rerum ſedes,& inania luſtrans
Regna,ſui rediit neſcius haud Nihili;
Borgius,ignotæ callens benè Palladis; omnem
In ternas mirâ protulit arte Theſes.
Ex Nihilo Nihil, in Nihilum noſtræ Orbita vitæ eſt.
Hoc ſumus:Hoc fuimus:Mox quoq;& hoc erimus.
Scripſerat hæc:acrique Theſes poſt Marte tuetur:
Hic plus*à partâ Pallade detumuit.

Id. Epigram. CXXXI.

Scire meum nihil eſt, ni me Nihil eſſe: Futurum
Me Nihil:ante Nihil meque fuiſſe,ſciam.
Ludicra Res Homines: ſors his quoque ludicra. Nulli
Jam ſumus.Heu!tantus quî Tumor ex Nihilo?
O vanas Hominum mentes? Ludibria vitæ
O quæ,dum letho vivimus, ac tumulo?
Hæc modò ſi ſapies,ſapies ſat;Palladis expers
Sis licet; Eſſe aliquid ſi cupis,eſto Nihil.

Peccatoris nomen adeò ſibi proprium fecerat, ut nullam alitèr ſubſcriberet Epiſtolam.
Epigr. CXXXII.

HOccine,Dive,facis Tibi Nomen? Nulla vel iſto
Quam non ſubſcribas, Miſſa Tabella venit?
Noſco equidem,tua quæ Mens ſit:vitæ integer ut ſis:
Cenſeri præter nil,puto,Crimen,amas.
Sed fruſtra: E victo Tibi erit plus Crimine Nomen.
Victori Tellus ſic dedit Afra ſuo.

Id.

* *Scientia inflat ad Cor.8.*

Id. Epigr. CXXXIII.

Peccas,ah nimium peccas,Peccator ubi Te,
Franciſci poſito nomine,Dive,notas.
Profuſæ Reus es famæ:cui,nempè, Tabella
Famoſus quævis ſcripta libellus erat.
Sed quâ Te damnas,abſolvit Epiſtola:Magnis
E Divis, qui ſic ſentiat,unus erit.

Id. Epigr. CXXXIV.

Plus,heu,Te fœdas, fœdo quàm candida ſucco
Fœdatur,nigris pagina picta notis.
Subſcribis Peccator: & hac nigredine tantam
Speraſti morum condere munditiem?
Irrita ſpes! Nullisne ſcates non ſordibus? O ſic
Sorderent nullâ non mihi ſorde dies!

Id. Epigr. CXXXV.

Nil hæc Te maculoſa juvant Cognomina . Purum
Quis Te non omni noverat à maculâ?
Nulla diu turpi ſub Nomine pulchra;nec ulla
Sub pulchro turpis Nomine vita latet.
Quin hac ſe melius ſic prodit ab indole Virtus;
Scilicet,hæc nulli eſt,quàm ſibi nota minus.

Ad Iudæ pedes ſibi domum apud Inferos ſtatuit:
Sed nè eâ quidem dignum poſtea ſe reputat,
& quare?

Epigram. CXXXVI.

AD Judæ Dux fortè pedes ſibi fixerat ædes.
(Impiâ, nempè, pio ſic domus ulla viro?)
Hos ubi ſed puro JESUM videt amne lavantem;
Nullus,ait,toto eſt jam mihi in Orbe locus.
Nullus in Orbe locus Tibi jã,Franciſce?Ita planè eſt.
Nil opus:extra Orbem,nempè,diu jam habitas.

Id.

Id.Epigr. CXXXVII.

Quàm malè, Dive, habitas, Judæ pede preſſus ! At iſti
Hoſpite Te, domui, quàm Tibi,pejus erat.
Namque ſuas leviùs, quàm Te, feret Orcus Erynnes.
Hinc abeas.Cum iſtâ quid Tibi,Dive, domo eſt?
Hanc Tumor hoſpes habet:Stygio tumet illaTyrãno:
Huic Orco Tu vel durior hoſpes eris.

Id.Epig.CXXXVIII.

Cur pede calcandum dat ſeſe hoc Borgia ? Judæ
A pede calcantis non;ſibi ab ore cavet:
Nempè,necem Jesu ficto attulit ore. Magiſtrum,
Si pede calcaſſet,læſerat ille minus.
Pes, eſto, fuerit Dux*criminis;ultor at idem eſt.
Egerat in ſcelus?aſt *egit & in laqueum.

Exprobrantem ſibi Dæmonem tantam vitæ abiectionem, abiiciendo ſe magis, è loco fugat.

Epig.CXXXIX.

QUòd medium Turbis ſe Borgia miſcet egenis:
Haſque habitu,mensâ,moribus,ore refert;
Non tulit hoc Dæmon:hominem mentitur, & olli
Exprobrat indignos, nec ſine labe, Greges.
At plus,ille,tuo de culmine deiicis, inquit;
Ad noſtrum dum te deprimis alloquium.
Hæc ait,ac tumidum dicto malè contudit:unâ,
Quod non feciſſet fulmine,voce fugat.

Eundem ut à lecto ſuo expulit,in quo cubantem reperit.

Epigram. CXL.

DAſne locum?Miſero tecum cui menſa, fuitque
Cui domus una;unus ſit quoque & ipſe Thorus.

* *Abiit ad Principes Sacerdotum.Mat.26.*
* *Abiens,laqueo ſe ſuſpendit.Mat.27.*

Digitized by Google

Abnuis? Hinc volucri teque ocyor abripis Euro:
Nempè, uno haud pateris me ſimul eſſe loco.
Sic eſt: nè lecto tecum dormiret eodem;
Maluit in ſtygios ille vel ire Rogos.

Id. Epigram. CXLI.

Quid faciat? Licet ille ſuo nimis uritur Orco;
Tecum olli duplex Tortor & Orcus erat.
Alter ab igne, thori paleâ alter: Pœna cubantis
Major at à Paleâ, quàm vel ab igne foret.
Straminis ille tui haud patiens: quem torret Averni
Flamma, timet ſibi plus hac tamen à Stipulâ.
At ſtyge quid pejus? Planè eſt: nam pejor iniquo
Styx capiti ſolâ de Probitate venit.

Per totam conſputus noctem à Socio; ſputa omnia immoto excepit vultu, ac ſilentio.

Epigram. CXLII.

HEu! malè digna ſubis, Pauper cũ pauperis hoſpes
Hoſpitii, ſtrato pauperiore cubas,
Borgia. Nam quæ fœda ſenex ſputamina, cæcam
Per noctem, incauto deſpuit ore Comes,
Excipis, immotâ perſtans ibi fronte mephitim
Ad liquidam, longæ noctis & eluviem.
Par Phœbo ſæpè ore micas, Franciſce: diurni,
Nè quid deſit, habes Sideris & maculas.

Id. Epigram. CXLIII.

Nocte ſcreat totâ, longo vigil aſmate, conſors
In tua præduri ſtraminis ora, ſenex.
Tu tamen uſque putris ſordes has pectoris, omnem,
Intrepidoque ſubis obuius ore, luem.
Tene parum macie fœdaras? Addita labes,
Quæque ſuo turpet fœdior imbre genas.

Tur-

Turpet, ais? quàm falleris! Os ubi Numinis iſthæc
Fœdarunt; ornant illita, non maculant.

Id. Epigram. CXLVI.

Ut primùm illuxit: facies maculataque ſputis
Viſa eſt; ipſe ſuum exhorruit Auctor opus.
Seque diu damnat. Nil Tu, Franciſce, dolebas,
Quæ tuleras: ſed qui fecerat, ipſe dolet.
Nil eſt, cur doleat, nil cur exhorreat, inquis;
Tam benè quòd noctu viderit, hoc ſtupeat:
Collimaſſe juvat: nempè, hos, mihi credite, ad uſus
Aptior hìc noſtro non erat ore locus.
Hæccine, ais? Malè ſic cauto, Te judice, laudem
Auctori meruit culpa vel ipſa ſuo?

Id. Epig. CXLVII.

Non ea, dum ſudo collucent Aſtra, cubanti
Nox Tibi tam pluvio ſub lare ſicca venit.
Nam totâ Te nocte ſuper, ſordenſque ſalivæ
Ingenuum Turbo verberat uſque Caput.
Tu perſtas nō fronte minor, quàm mente: quis unquā
Virtuti frontem crederet eſſe parem?
Vir eſt, inflicti patiens qui vulneris: at plus,
Turpia, quàm ferri vulnera, ſputa pati eſt.

Id. Epig. CXLVIII.

Multus in ore Tibi Sol, multus & emicat; atro
Noctis ubi ſuperos, Dive, ſub Axe rogas.
Cur, nè quære: Polo ſit judice: Luce venuſtat,
Fœdarat ſputo quas prior Umbra genas.
Non ſatis iſta probas: ipſo præ Sole Venuſtas
Tam fœdo veniens nam Tibi ab imbre placet.

Porcum in Eleemoſynam dono datum, Hiſpaniarum tum Commiſſarius, ſublatum in humeros portat.
Epigr. CXLVII.

Sublatam tergo, malè olenti mole premens ſe,
Turpe, ſuem, Dux jam Borgia, portat onus.
Hanc Inopi Pietas dederat: quam terga gravantem
Ut vidit, puduit: ſeque dediſſe dolet.
Nè doleas. Plus ſpurca premens Sus tergus honorat;
Aurea quàm Hiſpani Velleris* egit Ovis.

Id. Epigr. CXLVIII.

Aureus hunc Aries ornarat penſilis: Aulæ
Inter Magnates extuleratque Ducem.
Nunc humeris ſublata luto Sus illinit. Heros,
Quò tantus ſe plus deprimat, non habuit.
Vera cano: Plus ſi quis humi ſe deprimit, effert.
Quique ſolo Minor eſt, Major & ille Polo.
Jam quò Cœlicolas inter Sus efferet; Aulæ
Inter ſi Proceres extulit hunc Aries?

Id. Epig. CXLIX.

Ah ſine, ſic Pecudem Pecus, ah ſine, bajulet, inquis;
Bajulus hoc nunquam Borgia ponet onus.
Hæc ait, ac turpi nimiùm ſub mole fatiſcenti,
Haud auſus ſociam ferre vel unus opem.
Obſtupui, fateor, fœdo ſub pondere: at iſthæc
Quòd faciat, ſic & ſentiat, hoc ſtupeo.
Plus eſt hæc facere, inquis, quàm ſit dicere: Verè
Dicere at hæc, plus eſt, credito, quàm facere.

Olli

* *Fuit enim aurei Velleris Eques.*

Ollam, quâ Mendiculo prandium clàm ferebat; medio in foro ſpectante cum Carolo filio magnâ Equitum, Magnatumque multitudine, ſupra caput geſtat.

Epigr. CL.

PUlte gravem dum fert Inopi clàm Borgius Ollam,
Occurrit Gnato: nec pudet ire, Duci.
Non pudet ire? latens quin ultrò detegit: ultrò
Impoſitum capiti mox propè jactat onus.
Noſcere vis, iſthæc quanti huic foret Olla? locari?
Nempè, ea non poterat nobiliore loco.

Id. Epigr. CLI.

Aurea ſi fieret, quæ Te gravat Olla; nec auro
Illa foret, crine ut nunc pretioſa tuo eſt.
Sæpè aliis fruſtrà roſei quæſita Galeri,
Nempè, Caput Sors hoc ambiit, haud habuit.
Sed quod non potuit latii flos Muricis; illud
Jam tenet è nigris eruta Teſta focis.
Inſula ſi Tyrio non iſta ruberet aheno;
Hac Ollâ poterat vel rubuiſſe ſatis.

Id. Epigr. CLII.

Quò Te, Dive, pedes? Ollâ, ſi pergis, onuſtum,
Incidere in Gnati num decet ora Ducis?
Ille, vides, auro redit Aulâ clarus, & oſtro:
Ille novo Regum munere mactus ovat.
Fac redeas Franciſce. Parens cave, Prolis honores
Neu maculet Patris vile Miniſterium.
Abnuis? Occurrenſque ultrò, tectum ante lacernâ,
Elatum patulâ fictile fronte geris.
Olla aliis nam quæ foret, hæc Tibi, Dive, Corona eſt.
Non onus, eſt Magni major Honos Capitis.

Id. Epigram. CLIII.

Obvius attonitis ubi Dux aſpexit ocellis;
Quo vehitur, ſubitò deſilit altus equo.
Et multis, flexoque Patrem de poplite, Gnato
Quò ſibi fas oneri ſubdere terga, rogat.
Sed fruſtrà. Cui ſpontè dedit modò cuncta; rogatus
Hanc (petis hæc quæ ſit? fictilis Olla) negat.
Sic dominans fortuna Ducis cui ſorduit; olli
Hæc tanti eſt famuli Teſta miniſterii.

Alios Borgianæ Demiſſionis actus expendo.
Epig. CLIV.

EXportas aliò foſſam ipſe in Corbibus; ædes
Dum ſociis primas, Borgia, ponis, humum.
Hìc etiam ſulco vites committis; agreſti
Atque opere auguſtas deteris uſque manus.
Dux & adhuc, Aulâ coram ſpectante, miniſtras
Seu famulus, nigri ſeu Coqvus igne foci.
Hæc Dux, hæc Aulæque potens, Franciſce: Ducatu,
Dic age, num poſito, vilius eſt quod agas?

Id. Epigram. CLV.

Cum Lojolæo Dux ſeſe involvet amictu,
Quò plus vileſcat Borgia, nil quod agat?
Nil eſt, Imperio cujus Catalaunia ceſſit;
Olli quòd ſtabulum cura, & Aſellus erat?
Nil eſt, exiguâ vivit quòd fruge: rogatque
Panis fruſta, Iro paupere pauperior?
Quòdque gravi cæmenta ferat ſub pondere, nil eſt?
Nil eſt, quòd baculi ad verbera terga dedit?
Nil pede quòd vilem nudo præ ſe egit Aſellum,
Egit ubi primas Cæſaris ante vices?
Hæc humilis meta eſt Animi: Virtutis & omnes
Abſolvit numeros (quis neget?) hoc Nihil eſt.

Indè

Indè fluunt grandi facta hæc dicenda Cothurno.
O utinam Nihil hoc vel mea cuncta forent!

Vel in extremâ ſpiritus luctâ, Chriſtianæ Demiſſionis tenaciſſimus, exprimi coloribus vetat.

Epigram. CLVI.

PIngere dædaleo Te vult dum pollice Zeuxis;
Averſo moriens pingier ore, vetas.
Parce, precor: Terris Te Mors rapit invida. Quid Tu,
Vel fuco effictum, Te quoque, Dive, rapis?
Pulvis & Umbra ſumus morituri: Pulvis in Urnâ
Mox: ſine ſis hac nunc Umbra vel in Tabulâ.

Id. Epigram. CLVII.

Nè totus moriare: abeas nè totus; amicam
Te ſine Apellæa reddere ab arte Manum.
Abnuis: averſoque jubes abſcedere vultu:
Et fruſtrà cœptum rumpere cogis opus.
Noſſe Homines vel quòd fueris, Franciſce, cavebas.
Hos quid ni caveas noſcere, qualis eras?

Id. Epig. CLVIII.

Sic, inquis, totus moriar: ſic totus abibo:
Sic ætas erit hinc conſcia nulla mei.
Parce, meos pictrix effingere linea vultus;
Parce: coloratis officis officiis.
Ægrè hìc quàm vixi: moriar quàm ſpontè, teneto:
Nec ficte poſt hoc Orbe ſuperſtes ero.

Extincto vel in Corpore vacuam illam enecti per jejunia Ventris, rugoſamque Pelliculam, quâ præcingebatur, detegi vetat, nec ſine miraculo.

Epigr. CLXIX.

NE' pateat, Macies in Te quàm ſævijt; artus
Nudare exanimos torpuit auſa Manus.

Ter conata,ſtetit ter:nec ſemel, Ilia cingi
Quâ mos,fas vacuam cernere poſſe Cutim.
Mors odium haud laudis,rapuit quæ gaudia lucis.
Virtuti nunquam plus licuiſſe reor.

Id.Ep.CLX.

Res Animi Virtus:Animo haud eſt illa ſuperſtes:
Borgia Virtuti vixit & exanimis.
Exuccum,ſibi laude cavens,ſeſe occulit:Idem
Jejunum,qui dum viveret,occuluit.
I,moriens vitæ ſtudia in contraria verte?
Durat & extincto in Corpore vita prior.

Tertium in Franciſco planè admirabile, ſtudium,nempè, Divinæ Gloriæ, & ſalvandarum Animarum inflammatiſſimum: Qua de Re,unum hic, aut alterum argumento dabimus. Et primum quidem, quàm ardens Animarum ſitis in Borgia exemplo Chriſti.

Epigram. CLXI.

Est & aquæ mihi fons:.æternùmque effluet, inquis,
Chriſte: ſuam undè poteſt pellere quiſque ſitim.
Et quereris nimiis uri tamen æſtibus:Orbis,
Cum moreris,nec Te frigerat ipſa ſalus.
Exclamas, Sitio,ferali è ſtipite pendens:
Mors animam,haud potuit tollere at illa ſitim.
In Te conveniunt,Jesu,contraria.Adurar
Quidni ego ſic? Tu Fons;Fons tamen ipſe ſitis.

Chriſti è Cruce pendentis ſignum, ad nefarii Hominis converſionem, loqui, ac ſanguinem effundere precibus cogit.

Ep. CLXII.

QUæ Jesu confixa Trabi Tibi pendet Imago,
Vocales muto prompſit ab ore ſonos.
Teque rogante, Virum, Fato jam urgente ruentem,
In ſtyga, ſponte ſua nè velit ire, rogat.
Addita vis fuſi per vulnera quina cruoris:
Eſt vis, eſt oculis Vox quoque Magna Cruor:
At non duritiem mollit. Non ſurda, ſed auris
Nulla huic, qui tot non audiit ora, fuit.
Verbane Te amiſiſſe doles, Franciſce? Cruorem
Affixi amiſſum Numinis, heu! doleas.

Id. Epig. CLXIII.

Durities en quanta! Cruor vel tantus amari
Nec guttam fletus exprimit ex oculis.
Ergò furor malè fit Pietas contempta: ſceleſtum,
Inque os ingeſto ſanguinis imbre, necat.
Sorduit hinc pejus, poterat quo fonte lavari.
Undè ſalus cunctis venit, is indè perit.

Ip. Epigram. CLXIV.

Petra levi Moſis fluvios dedit icta bacillo:
Crux hunc tota ciet nulla vel in lacrymam.
De ſaxis homines ò ſi Deus ante creaſſet!
Duruerat, certò mollior, iſte minùs.
Ad lapſus fuerat nunquam non vitreus. Eheu!
Ad lacrymas ſaltèm ſaxeus ille foret.

Studio Divinæ Gloriæ, defectus licet viribus, annis, morbiſque conſumptus, juſſu B. Pii V. Pontificis, ad fæderandos contra Turcas Chriſtianos Principes, arduum ac longum iter ſuſcipit: quo ex labore Romæ demùm, ſtatim à reditu, ſanctiſſimè moritur.

Epigr. CLXV.

CHriſtiadas ſacro jungat quò fœdere Reges;
Æternumque ruant Thraces in exitium;
In longum ſe juſſus iter dat Borgia: tantæ
Conficit, ac majus ſpe propè, molis opus.
Martius, adverſis ſuetos concurrere ſignis,
Unus honos, uno ſub Duce, cogit Amor.
Auguror. His Thraces armis jam vicimus. Arma
Hæc, nempè, in Thraces jungere majus erat.

Id. Epigram. CLXVI.

Viribus, & morbo languens, defectus & ævo,
Aggreditur longam Borgius ire viam.
Nec properanda Virum ſic vel ſua fata morantur:
Una placet ſibi Mors, quæ ſit ab obſequio.
Indè abiit, ſic indè obiit. Magis ardua nulli
Semita, nec toto longior Orbe fuit.
Falleris. Ad tumulum trita eſt via greſſibus, omnis
Planaque ſat cunctis, ſat quoque & illa brevis.

Id. Epigr. CLXVII.

Unà iter, ac vitam finis: nimiuſque viarum,
Dive, labor Terris Te rapit ante diem.
Nempè, minor fracto poſthac quò Thracia cornu
Luna eat; occiduâ tam citò luce peris?
Sol quantus cecidit Terris! Toto Orbe vel ipſam
Non tanti Lunam diſperiiſſe fuit:

Id.

Id. Epigr. CLXVIII.

Vix reducem, FRANCISCE, ſtatim Te te occupat atra
Mors: eadem eſt vitæ, quæ Tibi meta viæ.
Ire ſimul ceſſas, ac vivere: ſcilicet, unà
Ipſe ſuum moriens Sol quoque finit iter.

Eodem Anno, ac Menſe, quo moritur, novum in Caſſiopæa Sidus apparuit.

Ep. CLXIX.

Astrorum nova ſit Geneſis: novus arſit Olympo
Ignis, ut hanc rapuit Mors Tibi, Dive, diem.
Quantus obis, FRANCISCE! pari quò munere ſolvat
Juſta, ſibi ſuperas auxit & Æthra faces.

Id. Epigram. CLXX.

Te moriente, recens it Cœlo Stella coruſco.
Anne, ſolo ut moreris, naſceris ipſe Polo?
Sed plus ſancta valet Pietas. Hæc, addita Cœlo,
Non Stella, errabam ſat malè, Phœbus erat.
Hæc Diuûm Sors eſt:* fert hæc, & præmia Virtus,
Hac quiſnam renuat conditione mori?

FINIS LIBRI SECVNDI.

* *Fulgebunt Juſti ſicut Sol. Mat. 13.*

EPIGRAMMATON

LIBER TERTIVS.

Tertius item Sanctimoniæ Triumvir, & ultimus

ALOYSIVS GONSAGA.

TE quoque tres inter Viros, hoc eſt, Heroas noſtri Nominis præcipuos, adoleſcentiam quamvis vix egreſſum, jure meritò adſcribimus, Aloyſi. Tua, nempè, adhuc Pueri eò Virtus evaſit; ut jam tum vel ſenibus ſocordiæ Pudor, & Stimulus fieres ad ſanctimoniam. Virtute anteibas ętatem, meritis annos. Indè jam cœperas, ubi vix alii deſierant: & quod illis fuerat faſtigium operis, huic veluti fundamento innixa, tuarum ſe ſuſtulit conſtructio Virtutum. Quanta in Te morum, mentiſque

Ca-

Canities; qui procul ab id temporis crepundiis, unam ejus ætatulæ, lacti ſuo concolorem, præ te tuleris Innocentiam? Quanta in Deum Pietas: cui, vix pedibus ingredienti, paternâ in domo ſæpè ſæpius queſitæ latebræ, in quas te abderes, ut precibus indulgeres? Quale illud futuræ ſpecimen Pudicitiæ, quàm & eximium documentum;cum juſſus,adumbratæ ad parietem Puellulæ vultum exoſculari, nulla adduci ratione,ut faceres,te ſiveris; pignuſque malueris amittere, quàm illam,non pudiciſſimam,amiſſi ludi mulctam ſubire? Jam tum, ſcilicet, didiceras ipſos Pueri luſus vertere in palæſtram virtutis. Quàm religioſæ, flos ille in Te Pudicitiæ: quæ adeò ad labis umbram exhorruit! Hóc magna, parvo latens in corpore, Mens primum fecit indicium ſui, non vanum, non obſcurum, quamvis umbratile:ſeque umbræ illius operâ bono in lumine collocavit. Quam ad aram Deiparæ juraras Adoleſcens, Virginitatem vel in Aulâ, loco, nempè, ad lapſum admodùm lubrico, ſic ſervaſti, ac ſi ævum ageres jam tum in Cœlo. Indè, dum adhuc in Terris degeres,quaſi unus ex Cœlitibus,vel Vaticanis calculis Angeli nomen es adeptus: permutatoque vocabulò Aloyſios dici vel ipſi Angeli peroptaſſent. Nam quî vel incorporeis Mentibus non invidendum, corpus more mentis vivere: atque ab omni libidinis ſenſu prorsùs immunem, carnis Juvenem habere meritum,citra periculum?

At non hæc,innocens planè Virginitas,prima Aloyſii laus;ſed Virgo planè Innocentia: quàm, nempè, qualem in ſacri lavacro Fontis acceperas, nullâ gravi fœdatam labe,ad tumulum attuliſti: immò nè labeculâ quidem ullâ,ſponté admiſsâ,violaſti: ſi quam vero non ſpontè admitteres; eo vel pudore, vel dolore capiebaris, ut animo defectus, corrueres: lapſuque exa-

ni-

nimati quoque Corporis lapſum Animi doleres, ac lueres. O Crimina Aloyſii planè innocentia! O Crimina ipſi quoque Sanctimoniæ decòri potiùs futura, quàm pudori!

Hæc nihilominus Adoleſcentis armabant dexteram Canum modò loris, cateniſque, modò equorum calcaribus; quibus latera, atque humeros proſcinderet, profundèque foderet: nec veſtes modò, ſed, fuſo ubertim ſanguine, ſolum etiam cruentaret. Quàm bellè, quod olim Sponſa de cœleſti dixerat Sponſo, in Te caderet, Aloyſi: Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus! Parem enim verò candorem Innocentiæ, & ſui cruentandi ardorem qui conjunxerit, reperire vix unum liceret ex millibus. Quid memorem ſic attritas jejuniis vires ut nè ſtare quidem, vel pedibus ingredi jam valeres? Quid ipſis pœnaliores jejuniis comeſturas, unâ, eâque nec ſolidâ unciâ Tibi tandiu definitas? Nullo in Te non aſperitatum genere ſæviebas: eaque feciſti Innocens, ut quid ultra nocens faceres, non haberes.

At quàm ampla Cœleſtium Tibi voluptatum ſeges effloruit ex hoc veluti ſemine aſperitatum? Indè perennes illæ, & omni melle ſapidiores lacrymæ: quibus dum immadeſceret Corpus, prægustatâ quadam beatitatis dulcedine, inebriabatur Animus. Indè arcana oſcula, intimique Divinitatis amplexus: quibus adeò adſtringebaris, ut nè ad imperium quidem Majorum, vel cum maximè velles, expedire Te quiveris. Indè hærens ſic Deo Mens, ac Cœlo; ut aliò nullis unquam orando cogitationibus avocaretur. Adde & animi vim, nunquam non expeditam, pro arbitrio ſeſe ſenſibus avellentis. Adde & intimum illud Amoris Incendium: cui cum ferendo non eſſes, languebas jugiter: ac tumeſcente pectore, micantibus venis, ardeſcen-

ſcente vultu,igneſceres in Victimam Charitatis;mox, niſi Deus flammam temperaſſet, in Cineres abiturus. Quæ tunc, Deo in cor ſeſe pleniùs infundente, Cordis amantis deliciæ? Quæ gaudia? Tu ipſe, cui datum eſt frui,his ſatis explicandis non eras. Non enim verba modò,ſed arcana,quæ de Cœlo gaudia habentur, non licet homini ſatis eloqui. Paria vix equidem fuiſſe, crediderim,quæ poſtea,patente morientis oculis Cœlo, præcocis Beatitatis gaudia delibaveris. Nempè, verè ſi quis amat; huic vel omnis in Amore fructus eſt,vel non tam frui placet,quàm amare.

Jamne mirer humana omnia, vel quæ maximè mirantur Homines, nullo apud Te loco, immò fuiſſe etiam faſtidio?Mente, oculiſque Deo plenis,ac Cœlo; quidni cum omni cenſu ſuo Tellus tota ſorduerit? Quò Te Romani Imperii Principatu abdicares,ea feciſti ardua, tuliſti & aſpera, quæ, quò ſibi quæreret, fortaſsè Nemo. Unus erat in votis Deus, unus in amoribus; iſque non qualis ſedet inThrono, ſed qualis pendet è Cruce, Jesus.

Hæc de Te prælibata,eò ſpectant,ut quibus Sanctimoniæ Te dabimus in exemplar, Adoleſcentibus maximè, quibus Ætas, Genus, Indoles, Studia, Uſuſque vitæ tecum unus, ac geminus; ex Te diſcant unius Crucis Chriſti fructus eſſe, ſi vera quærant, Gloriam, ac Delicias: nè tranſverſos agant illæ Hominum Peſtes, Ambitus, & Voluptas. Innocentiam ſi tenuerint; habent in Te Ducem, quem ſequantur Innocentiſſimum:ſi amiſerint, citra tamen culpam, pœnitentiſſimum. Unus es Aloyſi, qui geminâ, quâ pergitur ad Cœlum, viâ, Innocentiâ, ſcilicet,ac Pœnitentiâ, Ductorem Te viantibus præbeas,& Exemplar.

Digitized by Google

Moritura mox cum Prole Mater, emiſſo Lauretanæ Peregrinationis Voto, illicò parit.

Epigram. I.

LOiſiden paritura Parens, non ferre labores,
Maturæ aut poterat ponere Prolis onus.
Sed tua quæ Pietas, Virgo, cui nomina laurus
Dant Latiæ, facilem Numinis addis opem.
Vagiit indè Puer, Generis ſpes prima: ſuiſque
Matrem lacrymulis, exhilaratque Patrem.
Quanta foret cum Prole Parens, hinc diſcite. Nulli
Antehac Lucinam contigit eſſe parem.

Priùs Cœlo per Baptiſma, quàm Terris totus naſcitur.

Epigram. II.

MAterno prodire ſinu, Gonſaga, paternam
Ni maculam ſacro merſeris amne, negas.
Munditiæ proh quantus Amor! Vitale videre
Hoc jubar, in maculis nè videare, nequis.
Malle mori, quàm fœdari laus inclyta: fœdum,
Quanta eſt, nolle etiam vivere, ne videant?
In Te conveniunt. Vivis ſine crimine: Matris
Ac, dum fœdaris crimine, ventre lates.

Vbi primùm menti Deus obiectus eſt, toto cordis impetu Puer in eum convertitur.

Epigram. III.

VT primò affulſit Menti Deus; illicò Amoris
Vectigal Domino pendis, & obſequii.
Sic tua Mens, Lodoicæ, Deo ſimul obtulit uni,
Ac valuit fructus præcoqua ferre ſuos.

Sorte

Sorte tuâ felix! Cœlo qui longius, eſto;
Te prior at potuit vivere, nullus erit?

Ab anno ætatis ſeptimo vitam vixit perfectam, Teſte ejus Confeſſario Bellarmino, hoc eſt, omnibus Virtutum numeris abſolutiſſimam.

Epigram. IV.

SEptennis Tibi lux: & adhuc propè lacte Parentis
Labra madent; Pueri nil tamen in Puero eſt.
Digna Viro Virtus, Magnæ vis Mentis, adulta
Pulchrior in parvo corpore ſed Pietas.
Macte Puer! Virtute pari qui Neſtoris annos,
Et parvum Terris Aſtyanacta refers.

Id. Epigram. V.

Flos ævi primus Lodoico: primus at ævi
Maturas animi flos tulit unus opes.
Nulla huic Virtutum deerat laus: viſaque parvo
In Puero morum præcoqua Canities.
Illicò ſumma tenet decorum faſtigia. Nobis
Fas ò; cœpit ut is vivere, poſſe mori!
Meta aliis, huic Carcer erat. Qui cœperit indè,
Pauci ubi deſierint; dic age, Quantus erit?

Martialis Pueri Indoles.

Epigr. VI.

ARma Puer primis animo Lodoicus ab annis
Verſat: adhuc tenerâ tractat & arma manu.
Verſicolore caput criſtatum caſſide: parvum
Deterſo Thorax apprimit ære latus.
Implet & haſta manum: Dux prodit & agminis; olim
Quo Mars, dum parvo prodiit ore Puer.

Naſci iterum in Puero Martem quis diceret ; olli
Ni nunquam fuerit non inimica Venus.

Ab Armorum tractatione periculum.
Epigram. VII.

LActeus eſt Tibi flos, & adhuc lux prima vel Ævi:
Et Martis præcox ardor ad arma rapit.
Tormento Puer exploſo nam ludis : ahenas
Excutis, admoto, neſcius igne, pilas.
Auſa ſed hæc nulli, Te præter, noxia : retrò
Ceſſit ubi moles Martia, penè peris.
Hic Te, nempè, manet Mars, hæc & Laurea; Nulli
Noxius, ipſe Tui Victor, & Hoſtis eris.

Alterum à Ticino Fluvio.
Epigr. VIII.

QUadrijugis invectus equis Gonſaga, fluentes
Intrarat, mergi cum propè cœpit, aquas.
O ſcelus! Hoc uſſis Ticinus an expiet undis:
Tanta hæc ſi mediis Lux periiſſet aquis?
Parcite decepto: lethi genus eſſe, putavit
Naïas hoc Solis, ſcilicet, & tumuli.

Id. Epigram. IX.

Emergis propè merſus aquis, Lodoice: ſepulchro
Ambierat Naïs num tumuiſſe tuo?
Fortè memor natæ quondam ex ſe Cypridis, uno
Eluere hoc labem credidit à tumulo,

Id. Epigram. X.

Ticini præceps per aquas dum volueris; urnam
Heu, Puer, in patulis mox habiturus aquis;
Hærenti ad ripas trunco hæres : ipſaque pellens,
Quæ rapuit, Terris fluminis ira dedit.

Indè

Indè ſalus, Mors undè: eadem ſic Naïas ultrò
  Naufragii tabulam, naufragiumque tulit.

Tertium Adoleſcentis periculum à flammâ, quæ, cubili perusto, cubanti, non ſine miraculo, pepercit.
Epigr. XI.

SOpitum flammæ Lodoicum aggreſſa; voraſſet
  Penè, furens toto vis inimica thoro.
Merſerat hunc vigilem propè jam Ticinus in undis:
  Una, heu! nec ſatis arma, nec una via eſt.
In nos Res coëunt adverſæ in fœdera: ſæpè,
  Et quos non potuit flamma, peremit aqua.

Id. Epigram. XII.

Indormit quòd ſæpè pio Gonſaga libello;
  Et ſopor hunc, propior flammaque corripuit.
Evigilat: ſaltu hinc ſe proripit: indè voraces
  Eludit, medio ſoſpes in igne, faces.
Miramur, tanto quòd non Puer arſit ab igni?
  Plus eſt, quòd Cyprio nec Juvenis caluit.

Adoleſcenti, ad Mare deambulanti, Lapillus, quinque Chriſti Domini vulneribus mirè exculptus, occurrit.
Epigram. XIII.

AD mare dum lento pergis pede; quina Lapillus
  Occurrit, Jesu vulnera ſculpta ferens.
Hunc legis, ò Lodoice: ſinuque recondis, amanti
  Ore diu libans oſcula, & illacrymans.
Nam ſe quis teneat; fixi dum Numinis ultrò
  Ipſa dolore dolent ſaxa, & amore calent?

Id. Epigr. XIV.

In ſaxo ſe cælat Amor; Jeſſeïa qualem
  Quadruplici fixit cuſpide Barbaries.

Ut vidit Gonſaga, pio correptus ab igni,
Arſit: penè in ſuſpiria & omnis abit.
Si lapidum ſors hæc, ait; excors ſim, ò bone Jesu:
Vel poſthac mihi pro corde ſit uſque lapis.

Id. Epigram. XV.

En lapideſcit Amor; teneri qui pectoris hoſpes,
Dura etiam in largas lumina mollit aquas.
An magè molleſcit lapis? utque Amor induit, ultrò
Duritiem cogit ponere ſaxa ſuam?
Cernis, ut hìc Jesu bellè ſe ſculpſit Imago:
Spontè operi ut durum ceſſit & ingenium.
Perge, Amor: hæc ſi poſt iteres miracula; duret
Ad tua qui ſeſe vulnera, nullus erit.

Id. Epigr. XVI.

Nullus erit, tua qui poſt ſeſe ad vulnera duret?
Hæc mea vota, hæc ſuſpiria cordis erant:
Spes at nulla: tuo vel non calet igne: vel ictu
Frangitur haud cordis ſæpè petita ſilex.
Duriùs indè riget. Par huic quæ Pœna? ſceleſto
Par una eſt capiti, quæ modò culpa fuit.

Lapillus cum ſacra Chriſti Sindone componitur.

Epig. XVII.

Velarant tumulo quæ Jesum lintea; Iesu
Sanguineis retinent vulnera picta notis.
Hæc quoque (at undè latet) tenet hic lapis. Ilicet, unus
Fortè Amor haud unâ Dius ab arte valet.
In ſaxo ſculpit, lino quæ pinxerat. Idem.
Iam fit Amor Phidias, qui modò Zeuxis erat.

Id. Epigram. XVIII.

Pinxerat in lino: cur ſaxo incidit Iēsus
Vulnera, quæ pendens de trabe, quina tulit?
Nempè

Nempè,ea nè poſſit levior delere litura :
  Et pereant oculis illita, ſculpſit Amor.
Hinc diſcis,Lodoice,decēt quæ vulnera Amantē:huic
  Vulnera,quæ ſummâ ſunt Cute,nulla ſatis.

Id.Epigram.XIX.

Exciſa in tumulum, IESU quondam hoſpita,cautes
  Excepit cœco ſaucia membra ſinu.
Has tulit indè,reor,plagas exculpta: ſat una hæc
  Hoſpitii merces,officiique foret:
Namque ubi tam multo videre in vulnere Numen ;
  Credibile eſt aliam , nec voluiſſe Petras.

Florentiæ adhuc Puer , ad Aram Deiparæ ab Angelò ſalutatæ, Virginitatis voto ſe obſtringit.

Epigr. XX.

QUà Zephyro florent ſata ad Arnũ culta colono;
  Deque ſuo felix nomine vernat humus;
Mantoi Pudor hìc Pueri floreſcit; ad Aras
  Ejurans mores , ò Hymenæe, tuos:
Seque thoro dicat innupto. Florentia,nuſquam
  Vernaras toto pulchrior ante ſolo.
Indè tui Ver uſque virens,& gloria florum
  Perpetuum facient nominis auſpicium.
Langueſcunt alii calido ſub Sidere flores:
  Hic ſed Acidalio flos nec ab igne calet.

Id.Ep. XXI.

Hæc ubi picta, Deus quî noſtros induit artus,
  Monſtrat Apellæa,Dive, Tabella manu;
Hinc thalamos exoſus,abis:jurataque, pungi
  Lilia & hinc Cyprio neſcia ſente , refers.
Audes magna Puer.Deus induit: exuis at Tu:
  Exuis,an quòd carnem induit, indè, Deus?

 Id.

Id. Epigr. XXII.

Carneà, nempè, ſubit Deus hæc ubi vincula; nobis
Vincula tunc licuit carnea nulla pati.
Indè tuus Gonſaga Pudor : cui Corporis expers
Eſt Corpus:nil & cui caro carnis olet.
Haud noſtri Flos iſte ſoli eſt. Petis,undè ſit? Ipſo,
Ut ferat, in Terras venit ab Axe Deus.

Quia in Aloyſio vitæ totius ordinem,omniumque Virtutum exempla perſequi longum eſſet;præcipua id generis hic delibabimus. Et primò quidem admirabile illud ejus Innocentiæ documentum : Maximum ſcilicet, Aloyſii Crimen, quædam, quorum per ætatem percipere nondum poterat ſignificationem, verba Puero licentiùs excidiſſe.

Epig.XXIII.

QUòd Cyprio das verba luto lita neſcius;una hęc
Præ cunctis labes Te,Lodoice, gravat.
Hac nullâ non luce doles:hanc ubere rivo,
Et Cruor,& triſtes uſque lavant lacrymæ.
Teque reum vocitas.Quàm falleris!An magisInſons,
Quàm ſua cui nullum Crimina Crimen habent?

Id. Epigram. XXIV.

Crimen habent nullum tua Crimina, Dive; Pudicum
Ignorata animumTurpia non maculant.
Parce,precor,lacrymis poſthac, & parce cruori:
His poterat maculis non rubuiſſe Pudor.
Innocuæ minor hinc ires præ nomine vitæ,
Ni ſic peccaſſes,plus reus ipſe fores.

Hu-

Hujuſcemodi labeculis ſic Puer indoluit, & erubuit; ut præ dolore, ac pudore ad Confeſſarii pedes, animo defectus in terram corruerit.

Epigr.XXV.

COrruit exanimis, Miſtæ dum pandit ad aures,
Vel quæ Loyſides nil propè labis habent.
Heu tanti quæ cauſa mali? Dolor, ilicet, unà
Et Pudor: his animo deficiente, cadit.
Erubuit, doluitque. Dolor, Pudor, iſta nocentûm
Innocuum ſcelus eſt plectere, ſupplicia.

Id.Epigr. XXVI.

Siccine, Dive, doles, ſic & pudet; ulla doloris
Ulla ubi non juſti cauſa pudoris erat?
Nil Tibi, nil maculæque tuis vel moribus hæſit:
Noxa erat Innocui gloria; ſi qua tua eſt.
Hoc meritò ut facias; bona tu cape noſtra: viciſſim
Des tua, nè doleam, Crimina, nè pudeat.

Id. Epigram. XXVII.

Linqueris en animo; memori dum mente retractas,
Vel quæ Te, Cœlo judice, non maculant.
Malle mori præſtat, fore quàm de crimine fœdum:
Tu non fœdaris crimine: viſque mori.

Dei Gratiam, in Baptiſmate ſemel initam, ſic ſemper retinuit Aloyſius; ut in eâ ſingulari planè privilegio, firmiter conſtitutum duxerit Emin. Bellarminus.

Ep.XXVIII.

QUæ ſacro venit amne dies Tibi, Dive, perennis
Illa venit, noctis neſcia, nempè, dies.
Occidit hæc aliis: ſcelerum hanc ſæpè obruit & Nox:
Sed Tibi inocciduo ſemper ab Axe nitet.

Ignoratque vices,nunquam caſura: ſuoque
Fit Tibi perpetuum lumine ſolſtitium.
Non labi datur hoc aliis:non poſſe tuum hoc eſt.
Proh laus! Hac quantum Numinis inſtar habes?

Id. Epigr. XXIX.

Numinis inſtar habes ſatis, ò Lodoice. Poteſtas
Poſſe huic prolabi in crimina ſumma negat.
Olli Tu debes,ſibi ſed Deus:impare puram
Fonte tenes, procul à crimine, munditiem.
Tene rear noſtro fictum de pulvere? Tantum
Roboris è noſtro cui datur eſſe luto? .

Aloyſii in tantâ Vitæ Innocentiâ inflammatiſſimus pœnarum, ſpontè ſuſceptarum Amor. Indè Acutis aſſerum fragmentis Puer lectum aſperat.

Epigr.XXX.

INiectis, noctu carpis ſub lintea ſomnos,
Aſſeribus:multo ac vulnere ſæpè fugas.
Nec dormire ſatis fas eſt impunè: cubantis
Qui Thorus,eſt etiam jam Tibi ſupplicium:
Et dolor, undè ſopor: vigili quin nocte, doloris
Sat nimiùm,Tibi nil penè ſoporis erat.
Poſt aliâ juvat ire viâ.Quò,Dive, quieſcant,
Fac alios ſomnum carpere, Tu vigila.

Id. Epigr. XXXI.

Aſſeribus Puer indormis, Lodoicus, acutis:
Das & vulnifico languida membra thoro.
Sat Puero ſtipulis foret indormire; volucrum
Plurima cui ſtratum plumula molle parat.
In Te plus nimio ſævis: Te,ſcilicet,haud ſat,
Sopitum paleis pungere, ni ferias,

Semi-

Seminudus, algente Cœlo, noctu totus in lacrymas, uſque ad animæ defectum orando, adoleſcens perſeverat.

Ep. XXXII.

ALget hyems, & nox hiberno à Sidere; nudam
Algida nec Te Nox, teque moratur hyems;
Nam votis lacrymas, rivo ſimul ubere, miſces:
Æthra nives: quæ flet, frons tibi fundit aquas.
Inter aquas, interque nives, Gonſaga, ſed unus
Non tremis? Ipſe tuo, nempè, ſat igne cales.
Igne cales: fletuque mades. Quas exprimit, idem
His alitur riguis, ſcilicet, ignis aquis.

Calcaria ferreis, acutiſque radiis aſpera nudo lateri admovet pro ciliciis, quibus caret.

Epigram. XXXIII.

ADmotis Te, Dive, feris calcaribus: urges,
Et durâ fodicas cuſpide molle latus.
Sat benè currebas; ſtimulos cur ſubdis? At, inquis,
Itur ubi ad Cœlum; nemo ſatis properat.

Id. Ep. XXXIV.

Pungis echinato, tua cingens Ilia, ferro:
Ilia purpureo, qui fluit, amne natant.
Ah quid agis? tenero trux es Lodoice, Pudori:
Flos eſt: vulnifico quàm malè ſente riget!
Tutò, ais, illa nitent, quæ cingunt lilia vepres:
Sed mage, ſi circum ferrea cuſpis eat.

Id. Epigr. XXXV.

Virginitas Superis Tibi par: quam Cypria nullis
Auſa ſuis Venus eſt pungere acuminibus.
Sed Te multiplici perſtringit acumine Calcar:
Iſta Pudicitiæ diſſona pœna tuæ eſt.
Pœna? ais. His Pudor armat ſe calcaribus. Indè eſt,
Quòd Venus, his ſtimulos perdidit icta ſuos.

Id.

Id. Epigram. XXXVI.

Palmarum quàm Dives abis Gonſaga! diemque
Nec quinas abiens vivis Olympiadas.
Annos ſi numerem; Tibi flos viret integer ævi:
Tanta Deo produnt auſpice facta ſenem.
Cuncta Puer jam ſumma tenes: fert parvula nullas,
His Ætas ſtimulis, ſcilicet, acta, moras.

Iejuniis adeò ſe conficit, ut viribus à tanta Cibi abſtinentia omninò defectus, corruerit.

Epigram. XXXVII.

TE ſat longa diu tenuant jejunia: greſſu
Prolabente, pedes nec ſatis ire queunt.
Corruis exhauſtis, Lodoice heu, viribus. Ipſum
Hoc vitæ jugulum eſt, non petiiſſe gulæ.
Jejuno properas nam ſic Tibi fata. Perempta
Mox Gula, Te letho præcoce ſat perimet.
Vera cano. Juvenem ſatis illa perempta peremit.
Quis Rigor hic? Pereat quò Gula, Vita perit?

Quod unâ menſâ ſumeret, nè ad unciam quidem pertingere conſuerat.

Epigr. XXXVIII.

CUi nec tota Cibi totam dedit Uncia menſam;
Trux ſtomachi Tortor quàm fuit ille ſui!
Jejuno nimiùm menſa hæc inimica palato eſt.
Hoc alere; haud hoc eſt pellere velle famem.
Tam parvo voluit vitam qui vivere; victus
Hic expers, vitam vivere vix voluit.

Id. Epigram. XXXIX.

Vivere vix potuit, cui mos ſic vivere parvo:
Tam parvo vitam vix propè vivit Avis;

Par=

Parva licet, pluris, vacuo nam ventre fameſcens,
Victitat, aërias radere docta vias.
Ergò qui potuit tam parvo vivere; noſtro,
Haud ævo in Terris vivere & hic potuit.

Id. Epigram. XL.

Abſolvis modico panis convivia fruſto;
Et modicâ fontis, Dive, fluentis aquâ.
Quàm nova prandentis Pueri Gula! ſcilicet, hoc eſt,
Non ſatiem è menſâ quærere, at indè famem.

Id. Epigram. XLI.

Pone modum, Gonſaga: tuo illuſiſſe palato
Non eſt tam parvâ vel Tibi fruge ſatis?
Uncia dimenſo definit pondere menſam:
Tantula quod vitæ ad munia pondus habet?
Peccatur nimio, modico peccatur: in ipſo
Magna eſt vel modico noxia, ni modus eſt.

Ter in dies, adhuc adoleſcens, flagellis in ſe ſævit, ad fœdam uſque corporis lacerationem, & largam ſanguinis effuſionem.

Epigram. XLII.

TEr quid Te laceras? Noctuque, diuque furori,
Dive, pio Pietas nulla, nec heu! modus eſt.
Eſt tanto nec pulſa ſitis de ſanguine. Quis te
(Eſt animis etiam nam ſuus) urget Hydrops?
Hoc diſpar: alios hauſti ſitis una fluenti;
Sed Te plus fuſi ſanguinis illa tenet.

Ferreas canum catenas, ac lora; cum alia domi non eſſent, ſæpè adhibet pro flagello.

Epigram. XLIII

FLagra domi quòd nulla; manus, inſueta, cruentes
Te quibus, incuſſo verbere, ad arma moves.

Et

Et rabidos quæ lora Canes, quæ vincula ferro
Nexa ligant, ſæpè ad vulnera, Dive, rapis.
Parce Puer: non hos iſthæc quæruntur ad uſus.
In Te quid ſævis dexterâ, & ingenio?
Venando, nempè, iſta adhibent. Solatia fiunt,
Supplicium Domini, deliciæqne Domus?

Morti jam proximus, cum ipſe ſe non poſſet, ab aliis flagellis cædi, enixè petit.
Epigram. XLIV.

VLtima Loyſiden urgent dum fata: ſuperſtes
Nec vigor egelidis artubus ullus erat;
Vapulet ut, duroque rogat conciſa flagello
Membra, novis pateant ſaucia vulneribus.
Macte animi Juvenis; cui plagas addere morti
Mens fuit. An fuerat tam leve, Dive, mori?

Tanta vitæ Aſperitas eò magis in Aloyſio prædicanda, quòd conjuncta in eo fuerit cum ſupra modum eximiâ Virginitatis prærogativâ: quâ par Angelis dictus eſt: Ab omni enim vel carnis ſtimulo, vel turpi mentis cogitatione ſemper vixit immunis.
Epigr. XLV.

VIrgineæ qui flos vitæ! Quam nulla laceſſit
Vis Paphiæ, cui non, heu! benè nota, Deæ.
Hæc, Lodoice, tui dos eſt ſat rara Pudoris:
Hìc hoſpes, patrio fluxit ab Axe Pudor.
Non ſtimulis Venus ulla ſuis libavit. Acuto
Nam quæ non iſto lilia ſente dolent?
Id. Epig. XLVI.
Nulla animum turpis Lodoici pulſat Imago:
Nulla ciet menti prælia ficta Venus.

Amiſſam

Amiſſam an doleat palmam procul hoſte? Redemit
Amiſſum palmâ nobiliore decus.
Non ovat Hic, hoſtem valuit quòd vincere; ſed quòd
Hoſtem non valuit vincere, victor ovat.

Id. Epigram. XLVII.

Victor ovas, Gonſaga, hoſtem quin vincere poſſes.
Parta, licet nullo laurus ab hoſte, venit.
Noſſe cupis, quæ cauſa? Tuo non auſa Pudori,
Abſtinuit Cypris bella movere minor.
Fecerunt alii, nè poſſet vincere: ſed Tu
Plus eſt; in pugnam nè velit ire Venus.

In tam excellenti Virginitatis prærogativâ, mira admo-dùm in Aloyſio fuit oculorum, vel continentia, vel verecundia, qua nè de facie quidem Hiſpaniæ Reginam noverat ad quam quotidie ventitabat.

Ep. XLVIII.

NUllâ non, Lodoice, die Auſtriadûm Heroinam
Ire ſalutatum mos Tibi, nempè, domi eſt;
At nec dè facie noras. Libata venuſtas
Tanta oculis non eſt, vel ſemel, illa tuis.
Quid cauſæ? Tutone times ſic indè Pudori?
Tutus, ais, Pudor eſt, qui ſatis indè timet:
Ut vidi, ut perii, quis de ſe faſſus. Amando
Ut vidit, quoties indè Pudor periit.

Vel puellarem umbram Puer, ex ludo Reus, nullo modò, ut oſcularetur adduci potuit: ludoque omiſſo, amiſſoque pignore, abiit.

Epigram. XLIX.

O Lodoice, adeòne levem terreris ad umbram?
Mos Pueris umbras, nempè, pavere leves.

Ludicra nè vanæ delibes oſcula larvæ;
Reſpuis ingenuò gaudia cœpta joco.
Indignaris,abiſque,caves. Fac vera Puellæ
Oſcula,& os fuerint;plùs, rogo, quid faceres?

Id. Epigr.L.

Oſculer os preſſis,quod pinxerit umbra,labellis,
Umbra,puellares viſa referre genas?
Irrita ſpes. Satis iſta meo lex dura Pudori eſt.
Sic noſtro Victor ludere vis capite.
Ante mori præſtat; ludi hæc quàm jura tueri.
Sim Reus;haud læſi,nempè,Pudoris ero.

Id.Epigr.LI.

Sancte Pudor, tua ſic pereunt num jura? Pudori
Nulla nocens, labem ficta Puella tulit.
Ergo age, fac, pactâ ludi quâ lege tenetur,
Oſcula nè victus figere juſſa, neget.
Fallimur. Haud labem ſemel attulit ipſa Pudori
Picta Nurus: Fortes vicit & umbra Duces.
Sat Gonſaga ſapit. Vero proludit amori,
In ſua ſæpè trahens vincula, ficta Venus.

Hinc caſtiſſimo Iuveni mira cum Deo,ſuperiſque conjunctio, vel à Puero. Adhuc enim Infans domi latebras ad orandum quærebat.

Id. Ep. LII.

PArvus adhuc, pedibuſque bonus vix ire; latebras
Loyſides,votis pulſet ut Aſtra, petit.
Altior huic fuerat Puero, & cœleſtis origo:
Sic oriens altum flammula carpit iter.
Quantus erat; parvo propè reptans corpore, Cœlum
Qui petit?Hic membrisPumilo,mente Gigas.

Nul-

Nullas orando mentis evagationes habet, ſingulari ſanè privilegio.
Id.Ep. LIII.

VNi hæret Gonſaga Deo, dum ſupplicat: uni,
Mens aliò ferri neſcia, fixa Polo eſt.
Nulla vel huic animum cura hùc, vel dividit illùc:
Nulla hunc ſpontè, priùs nec niſi juſſa, ſubit.
Neu Tibi poſt plaudas ſubiecto Cæſar ab Orbe:
Par ulli nullum contigit Imperium.
Id. Epigr. LIV.
Contigit Imperium nulli par: Nemo vagantem
Arbitrio mentem temperat ille ſuò.
Inque novos Mens it mores, dedocta volucres
Atque ſuas, patiens non ſua vincla, fugas.
Fas aliis nexo vinciri corpora ferro:
Vincla indignantem, vinxit at hic Animum.
Id. Epig. LV.
Numinis hæc vis eſt, Ventos qui fræna fugaces,
Quique Animas dederit* pondus habere leves.
Quanta hinc floreſcit Lodoico gloria? Motus
Hic regit arcanos mentis, & ille maris.
Præ mare, præ ventis multo Mens fluctuat æſtu:
Quàm mare, quàm eſt animas, ſiſtere plus animos.

Sanctè affirmat, nihil ſe à Deo petiiſſe, quin impetrarit.
Epigr. LVI.

EXoras, quotiès oras, Gonſaga: petenti
Irrita Vox, facili Numine, nulla cadit.
Supplicis eſt Animi quanta hæc vis! Ille rogantis
Ore jubet qui ſic; non, reor, ille rogat.

Egre-

* *Qui fecit Ventis pondus Iob. 28.*

Egregius, vel in Puero, erga Deum Amor. Duodennis adhuc, infeſto ab Turcis mari navigans ſpe fundendi pro Deo ſanguinis, capi exoptat.

Epigr. LVII.

QUò Te vota? Capi Odryſio vis Hoſte; cruentâ
Pro Chriſto ut liceat ſic nece, Dive, mori.
Hos & habes parvo magnos ſub pectore ſenſus.
Quantus tam parvi pectoris arſit Amor!
Non Mors, non ipſâ gravius vel morte, Tyranni
Gonſagam terret vile Miniſterium.
Sic ſatis haud vitâ, ni libertate litares.
Plus eſt ingenuo vilia vincla pati.

Divini Amoris æſtu æſtuabat adeò, ut toto corpore inardeſcens, langueret jugiter: veniſque, ac pectore intumeſcentibus, Cor ipſos coſtarum cancellos rumpere: exitumque moliri videretur.

Epig. LVIII.

VIctor, iò! Jam non Scythicæ Gonſaga carinæ,
Sed meus eſt, dives Præda ſat, inquit Amor.
Dius Amor cremat arcano ſic igne; ferendo
Impar, ut tanto ſe putet igne mori.
Æſtuat ore: tumet venis: ac penè fatiſcens
Pectore, in obſtantes Cor ſalit uſque moras.
Nempè, capi dum tanta nequit flamma; addidit ictus,
Quò nimis anguſtos ampliet indè ſinus.

Di-

Digitized by Google

Divini Amoris illecebris Majorum imperio juſſus abſtinere, non poteſt. Hinc illæ ad Deum preces, Recede à me, Domine, Recede à me.

Epigr. LIX.

DUlce oculis lumen, JEsu mi, dulcior ignis,
 Dulcius ò Animæ deliquiumque meæ!
Parciùs hæc. In cor minùs aut illabere noſtrum:
 Illapſo aut liceat Numine poſſe frui.
Ah nimiùm diſcors ſtudia in contraria! Amanti
 Hiſque frui, quæ das gaudia, poſſe negas?

Id. Epig. LX.

Inſequeris, Te dum fugio: fugiſſe ſequentem
 Nè vitio noſter, fac, rogo, vertat Amor.
Chriſte, jubes, ægro malè nè ſit, vivere Amantem
 Te procul? Aſt ægro num mihi pejus erat?
Durus Amor! Duro vel ſic paremus Amori.
 Plus ut amem, fugio: plus ut ames, ſequere.

Id. Ep. LXI.

Nil fugiſſe juvat: fugientem, ſcilicet, ultrò
 Dum ſequeris, mea Mens perdidit ipſa fugam.
In Te corde feror, procul à Te corde recedens;
 Nec vis amplexu me rapit ulla tuo:
Quæ nollem, vel ſpontè velim: ſic cogis. Amanti
 Nec fas eſt Tecum vivere, nec ſine Te.
Quid faciam? Tecum quando nec vivere poſſum,
 Nec ſine Te; Tecum fac, rogo, poſſe mori.

Vno vel Pueri aſpectu, mirâ in Deum Charitate intuentes inflammabantur.

Epigr. LXII.

LOiſiden oculis quiſquis luſtrarit acutis;
 Hunc diæ ſubitò corripuere faces.

Arſit amans: cordiſque gelu ſic ſpontè ſolutum:
Æſtivo quales Sole abiere nives.
Uritur omnis Amans, Amor omnis & urit: Amantis,
Unus hic, eſt quidquid, quidquid Amoris, habet.

Id. Epigram. LXIII.

Indè cremas, Mantoe Puer, ſimul undè cremaris.
Idem & Amans: idem, vix ubi viſus, Amor.
Exarſitque videns ſuperis Tete ignibus: uno
Eſſe Amor & potuit tantus ab intuitu?
Ex oculis hic arſit Amor. Quis dicere cœcum
Auſit & hunc? Nullus ſic oculatus Amor.

Summa in Aloyſio, numeriſque omnibus abſoluta perfectio, uſque ad perfectiſſimum quà Cordis, quà Mentis Imperium. Nulla namque re moveri nullis nè primis quidem, Appetitionum ſuarum tentatiunculis, nullis non ſpontè ſuſceptis cogitationibus appeti conſueverat.

Epigram. LXIV.

NUlla Poli facies, nunquam non nubila Virgo
Nulla nitens, aliquâ vel ſine labe dies.
Nulla levi non pulſa ſemel vel flamine Doris:
Nulla luto Naïs non violata fluit.
Cynthia & ipſa ſui ſentit diſpendia: lucis
Ipſe Parens quoque Sol totus, & obruitur.
Cuncta vices, Te præter, habent, Sol, Cynthia, Doris
Æthra, Dies: Cur hoc? Mens propè totus eras.

Id. Epigr. LXV.

Mens propè totus eras; labis, Lodoice, ſed expers,
Fœdari quâ Mens ſæpè vel ipſa ſolet.
In Te nulla tumet domito lis corde; ſuperſtes
Nullaque vis tacito pectore bella movet.

Ten-

Tentamenta ſubis nec Martis prima; Parentum
Quo ſcelus irato ſtirps luit uſque Polo.
Sic Genitor ſibi quod, Generi quod perdidit omni,
Hoc Tibi, Dive, tui reddis & Imperium.

Id. Epigr. LXVI.

Venit ab heroo par non niſi pectore Virtus:
Quâ ſe, quâ ſenſus Mens premit alta ſuos.
Impreſſoque premens ſic hos pede contudit; imo
Nulla queant ut poſt bella ciere ſinu.
Macte Heros virtute! ſilens Tibi nulla, ſubacto,
Otia lis unquam pectoris, hoſte, terit.
Quæ Tecum certet Victoris laurea? Victo
Quæ venit ex animo, clarior illa venit.

Id. Epigr. LXVII.

Ex animo non una viret Tibi laurus; opacat
Namque triumphales congeminata comas.
Ardua res: eſt cuique rei tamen inſita Virtus,
Cogere cor dominæ mentis ad obſequium.
At menti dare jura: ſinu & quæ verſet, eidem
Cui licet arbitrio ſcribere poſſe ſuo?
Hæc tua vis: ſua non patitur quæ vincula; Mentem
Arbitrii cogis vel tua vincla pati.

Indè Mentis à corpore exceſſus, atque ſenſibus avocationes, quas extaſes vocant, Aloyſio nunquam non arbitrariæ.

Ep. LXVIII.

AD Divina rapi licet, ut lubet: indeque vitæ
Vilia jam tuus ad munia ſenſus hebet.
Vivimus, heu! gemino ſat diſpare vivimus ævo:
Eſſe pares Brutis contigit, & Superis.
His nam mente pares; illis ſumus artubus: uno
Tam diſpar agit in corpore vita duplex.

Quantus eras, Gonſaga! pari vel ſorte penes quem
Arbitrium eſt vitam vivere, quam libuit?

Id. Epigram. LXIX.

Corporis, heu, conſtricta ſolo Mens artubus hærens,
Cognatum repetit quam malè pigra Polum!
At moles non iſta premit Te, Dive; volatus
Pro voto ad ſuperos, nempè, agis ipſe tuos.
Altus habet ſenſus tantùm ſopor: otia neſcit
Ætherios inter Mens operoſa Choros.
Proh quantùm licuit Juveni! Quæ, ſcilicet, omnes,
Hæc unum Te non carnea vincla tenent.

Publico in Noſocomio ab Ægrorum miniſterio contractâ Tabe, ultimò ægrotat: ſanctèque moritur.

Epigram. LXX.

Vltima Te, Lodoice, lues, heu! corripit; Ægris
Dum famulam ſolers dextra miniſtrat opem.
Nec tangit Te cura tui. Tibi, ſcilicet, ipſâ
Eſt vitâ potiùs Pauperis obſequium.
Jam votis factum ſatis eſt: jam præcocis ictu
Lethi, ſacra Polo Victima ſpontè cadis:
Apponiſque lucro. Morituro, quis neget? inquis,
Lucrum eſt, impenſâ pro Pietate mori.

Id. Epigram. LXXI.

Nam quò Te tuus urget Amor, Lodoice? Quid, Ægros
Ipſe ſinu ut foveas, ebibis ore luem?
Brachia in amplexus curvas: curvatur ad ictum,
Et vitam lethi falx inimica metit:
Teque ſolo ſternit. Factum ò malè! ſcilicet, omnes
Quæ ſervat, tua jam Te perimit Pietas!

Vlti-

Vltimò decumbens, cæleſtis Patriæ conſpectu per totam noctem fruitur.

Ep. LXXII.

ATra priùs quam Mors oculos Tibi clauderet; (Aſtra
Sunt oculis ſeſe pandere viſa tuis:
Quæque manent Cœlo Te Præmia; mox ubi Olympo
Invectus, Lunæ cornua calce premes.
Mira fides! Tua quò pateant Tibi Gaudia; claudit
Quos aliis oculos, hos Tibi Mors aperit.

Id. Epigram. LXXIII.

Decumbis, Gonſaga: dies Teque ultima, Terris
Quæ rapit; hæc merito dat properata Polo.
Sed properata ſatis, fatis urgentibus uni
Non properat, votis lenta ſat illa tuis.
At cur Æthra patet, mirari mitte: morantis
Neu doleas cauſâ funeris, illa præit.

Id. Epigram. LXXIV.

Extremis nebat digitis jam ſumma ſororum;
Dive, trium vitæ ſtamina Avarities;
Cum decumbenti ſubitò diſcedit Olympus:
Seque, ſuas Cœli Regia pandit opes.
An cerni ſe cura coquit? Quàm fallimur! Æther,
Non ut Tu videas: panditur, ut videat.

Id. Epigram. LXXV.

Eſt Hominis, Lodoice, mori Te: ſcilicet, in Te
Omnia Cœlicolûm, ni morereris, erant.
Nulla lues morum, mentis fuga nulla volueris:
Suſceptoque ſemel Vis quoque fixa bono eſt.
En Tibi cur Cœlum morituro panditur: illic
Quæ nunquam, ſemel hîc cernere poſſe cupit.
In Te, nempè, oculis ardet mox noſcere, qualis
Mors quoque; Cœlicolæ ſi morerentur, erat.

Id. Epigram. LXXVI.

Loiſiden dum ſumma vocat lux: atque pheretrum
Ocyor,heu! Juveni dum Libitina parat;
Olli ſpectandam dat ſe: lethoque natantes
Jam propiore,oculos Ætheris Aula beat.
Quàm felix! Aliis vis, ac labor Æthera pandunt:
Hic jacet:atque uni ſpontè ſed Æthra patet.

Id.Epigram.LXXVII.

Nocte videt totâ, patulo Lodoicus Olympo,
Dulcia quæ Divis gaudia,Chriſte,paras.
Mortaleſque latens oculos admiſit, aperto
Axe patens, Ægro ſeque dat Æthra frui.
Jamne mori quæres, Lodoice? ſuperſtite vitâ,
Quæ dat Mors aliis,Tu bona nonne tenes?

Id. Epigr. LXXVIII.

En Tibi,Dive,patent ultrò propè funus Olympi,
Quæ clauſæ Stephano jam patuere fores.
Par lethi votum,letho tamen impare, utrique eſt;
MorsTibi nam blando mitior ore venit:
Durior huic;duro lapidum quem contudit imbri:
Quodque necat,ſaxis obruit ipſa Caput.
Quantus eras, hinc diſce: Priùs quæ ad ſaxa patebat;
Æthra tua en ad ſuſpiria, Dive, patet.

Tanto cæleſtis Gloriæ,Mortiſque deſiderio æſtuat,ut hoc ipſum,nè ſupra modum fieret, religionem iniecerit.

Epigr. LXXIX.

TE Cœli ſic urit Amor; propioris amantem
Ut lethi Vox Te nuncia, Dive, beet.
Vivere jam dolor eſt:uotorum ſumma,voluptas,
Quòd timor eſt aliis, ultima, poſſe mori.
En cur fata præit Cœlum,patuitque. Sitiris
Plus quoque,quàm (faș ſit dicere) & ipſe ſitis.

San-

Sanctiſſimè demùm,ac lætanter moritur.
Ep. LXXX.

VLtima,Loiſiden quæ nobis abſtulit hora;
Lætitiis hunc, nos obruit at lacrymis.
Diſpare Mors fœtu parit una: huic gaudia præcox:
At nobis,heu! ſuſpiria longa tulit.
Hunc quis non fleat extingui. Quàm vivere, aperto
Iam Cœlo,quis non geſtiat ante mori?

Septem poſt annis ab exceſſu, repertus eſt in tumulo, eâ membrorum omnium conformatione,ut priſcam viventis modeſtiam, ac pietatem præ ſe ferret.
Ep.LXXXI.

SOlveris in Cineres:unà hærent oſſa : priorem
Exanimis ſpeciem vel probitatis habes.
Nil læsâ compage,Manus ad pectora junctæ :
Calva ſilens, modicè flexaque perſtat adhuc.
Qui fueras,poſt fata jaces,Lodoice:Tibique
Vita mori potuit,non potuit Pietas.
Id. Epigr. LXXXII.
Quæ carnem in cineres omnem Mors ſolverat;oſſa
Auſa ſuo non eſt ulla movere loco.
Oſſea ſic conſtat Compago; ut tota ſuperſtes
Duret adhuc ſine jam corpore, forma prior.
Carne cares! Vivens etiam at,Lodoice, carebas.
Nulla caro, fuerat nam cui nulla Venus.

Aloy-

Aloyſii ſanctimonia, ejuſdemque Gloria, Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis divinitùs demonſtrata.

Epigr. LXXXIII.

QUo ſuperûm, Gonſaga, Choro, quâ ſede moraris,
Ut Virgo vidit Magdalis, obſtupuit,
Sublimem ſolio Iuvenem, radioque coruſcum
Crinali, magnis Cœlitibuſque parem.
Iamne querar letho Te raptum præcoce? Vixit
Præmia cui vitæ tanta, ſat ille diu.
Nempè, diu haud vixit, longos qui vixit in annos.
Eſt benè, non longùm vivere, Canities.

Id. Epigr. LXXXIV.

Credetis? propè prima tenet ſubſellia Divos
Inter, Mantoi flos Lodoicus agri.
Indice ſic IESU didici. Quis dicere falſum
Autumet hunc? oculis hoc patuitque meis.
Macte Heros! Pietas multis non indiget annis.
Sæcla utinam mihi dent, quæ Tibi, Dive, dies?

Inter Martyres, eximii erga Deum Amoris ergo, ab eâdem adlectus.

Epigr. LXXXV.

MOrs Te ſicca rapit: nullo licet imbre cruoris
Irriguo, victrix ſed Tibi laurus ovat.
Nam Te purpureis immiſcet Magdala Turmis:
Quas merito dederat Palma cruenta Polo.
Fecit Amor (ſua nempè olli ſunt ſpicula) nullus
Quos ferro Furor, hos cuſpide fixit Amor.

Aloy-

Aloyſius ſignum in Cruce fixi Numinis unà cum Lilio manu geſtans, & ſimul illacrymans, exprimi ſolitus.

Epigr. LXXXVI.

EST, Lodoice, ſuo Tibi Crux ſatis aſpera trunco:
Lilia ſunt, verni luxus, amorque ſoli.
Tuque manu cohibes unâ tàm diſſita. Flores
Deliciis veniunt, vulneribuſque Cruces.
Hæc aliis: Tibi Crux flos, flos Crux: diſſita jungis,
Cum Cruce delicias, deliciiſque Crucem.

Id. Epigr. LXXXVII.

Sat malè conveniunt, quas Chriſti è vertice ſpinas,
Quæque manu, Germen, lilia, molle tenes.
Iſta ſibi dextræ haud poſcunt commercia. Spinam
Non flos hic: florem hæc ſed neque ſpina decet.
Iungimus aſt, inquis: Meliùs nam lilia nuſquam
Quàm ſua ſpinæ ubi dant germina, proveniunt.

Id. Epigr. LXXXVIII.

Conveniunt benè flos, qui lacte albeſcit odoro:
Et qui ſanguineo flos Crucis imbre rubet.
Una utroque manus Lodoici flore ſuperbit.
Sic colli haud deſunt Lilia, mixta Roſis.
Mixta Roſis at non hæc Lilia. Pinxit Iéſu,
Quæ Cruor, in rutilas, crede, abiere Roſas.

Id. Epigram. LXXXIX.

Lilia dum ſtringis, fixumque in ſtipite Numen;
Os Tibi cur gemino frontis ab imbre fluit?
Vulnera num fixi ut fletus lavet imber Amoris?
An flos ut riguis ſic magè creſcat aquis?
Se lacryma * flos iſte ferit, Gonſaga. Quid indè
Mirer? Vis florem creſcere & à lacrymâ.

* *Ex Plinio, &c. Alba lilia ſeruntur aliis modis, & hoc ampliùs lacryma ſua. l. 21. c. 5.*

Id. Epigram. XC.

Parce oculis, Mantoe Puer; cui caſta vireſcunt
Lilia; non fuſis huic opus eſt lacrymis.
Illacrymet, nimio cui Cypridis aruit æſtu
Flos hic: fortè iterum fletibus ut vireat.
Irrita ſpes! Ubi ſicca ſemel cecidere; virori
Qui lacrymis reddat lilia, nullus erit.

Id. Epigr. XCI.

Lilia confixo nunquam non jungis Ieſu,
Dive; Tibi à lacrymis nulla vel hora vacat.
Apta hæc virgineo, nempè, eſt cultura Pudori:
Cui florem Tellus non parit ulla parem.
Hoc venit & cultu, venit hoc è ſemine. Sic eſt.
Si qua ferunt lacrymæ lilia, ſanguis alit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.